Sizoo, Alexander
De Plutarchi qui fertur De liberis educandis libello

DE PLUTARCHI QUI FERTUR DE LIBERIS EDUCANDIS LIBELLO

DOOR A. SIZOO

UNIVERSITAS LIBERA REFORMATA AMSTELODAMENSIS

DE PLUTARCHI QUI FERTUR DE LIBERIS EDUCANDIS LIBELLO

DISPUTATIO LITTERARIA QUAM ANNUENTE SUMMO NUMINE EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI F. W. GROSHEIDE, THEOL. DOCT. IN FAC. THEOL. PROF. ORD., NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO PRO GRADU DOCTORIS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO AC SOLLEMNI EXAMINI SUBMITTET IN AEDIBUS QUIBUS NOMEN „DE WERKENDE STAND"

ALEXANDER SIZOO

GORICHEMIENSIS

DIE XII M. APRIL. A. MCMXVIII, HORA II

AMSTELODAMI — APUD A. H. KRUYT — MCMXVIII

AAN DE NAGEDACHTENIS VAN MIJNEN VADER
EN AAN MIJNE MOEDER.

Cum in eo sim, ut defendenda mea disputatione studia academica absolvam, facere non possum, quin gratias agam iis viris, qui litteras me docuerunt. Imprimis clarissimi WOLTJERI Patris memoria celebranda est. Cui quid discipuli debeant, ii modo intellegere possunt, qui eius scholis interfuerunt. Qua erat doctrina, discipulos incitabat ad industriam ; ut erat modestus, eos prohibebat a iuvenili insolentia; stimulabat inertes, cohibebat nimia petentes, imbecillos confirmabat, imbuebat omnes litterarum Latinarum amore. Ut ipse erat animi firmi constantisque, ita ei sermo erat remissus, sedatus, ciuque verbo vim suam tribuens ea auctoritate, quae efficeret, ut nullum verbum non penetraret in animos usque eorum, qui audiebant. Omnia postulans a se, multa postulabat ab aliis, indulgebat vero adulescentium viribus. Ne multa: erat magister, cuius nemo discipulorum unquam obliviscetur, quem ego quoque grata memoria semper prosequar.

Secundum patrem tu appellandus es, clarissime WOLTJER Fili, promotor aestumatissime, qui non solum Graecas litteras me docuisti, sed etiam in scribenda disputatione ita semper mihi adfuisti, ut nunquam frustra auxilium tuum implorarem, ut semper consilium tuum mihi praesto esset, domus tua mihi pateret, ut, licet permulta tua officia, Patris decessu aucta, vix tibi id concederent, tamen meo opusculo vacares. Quid doctrinae, consilio, diligentiae tuis debeam, me nunquam obliturum esse tibi persuasum esto.

Pro tuis quoque scholis, clarissime GEESINK, qui historiam philosophiae, logicam, psychologiam me docuisti, gratias tibi quam maximas ago.

Lectionibus, quas tu clarissime BAVINCK habuisti de aesthetica interesse mihi licuit, quarum nunquam oblivio me capiet.

Utinam mihi liceret hoc loco alloqui virum clarissimum BIESTERVELD, qui inde ab infantia mea mihi favit, cuius scholis de rhetorica habitis interfui.

Denique vos nomino, doctissimi gymnasii Gorichemiensis praeceptores, qui mihi puero litterarum antiquarum elementa tradidistis.

CONTINENTUR.

PROOEMIUM.

Maximi momenti et ponderis esse liberorum educationem et institutionem antiquis iam persuasum erat, et praesertim Graecis παίδων illa ἀγωγή sive παιδεία [1]) curae erat, quippe quae liberos iusto nomine καλοκαγάθους reddere existimaretur. LYCURGUM[2]) Spartae, Athenis SOLONEM[3]) accepimus educationem legibus temperasse, cum perspicerent magnopere interesse rei publicae bene gerendae cives optimae eruditionis participes esse.

Nec philosophi operam non dederunt, ut rationes, quibus rectam educationem niti oporteret, adumbrarent. PYTHAGORAS[4]) primus philosophiam subiecisse dicitur fundamentum educationis doctrinae; postea PLATO et ARISTOTELES certam quandam rationem composuerunt paedagogices; eorum vero libri, praesertim libri PLATONIS, non tam spectant ad eorum temporum educandi modum, quam praebent imaginem perfectae educationis.[5]) Quam bene sophistae meriti sint de arte paedagogica, nuper v. d. GUNNING demonstravit.[6])

Multi autem antiquis temporibus scripserunt de educatione et institutione, inter quos Stoici philosophi primum locum obtinere videntur; sed omnes fere eorum libri, quorum titulos LORENZ GRASBERGER collegit[7]), perierunt et paucae tantum reliquiae saecula superarunt. Praeter QUINTILIANI Institutionem Oratoriam, quae licet praesertim, ut ipse titulus indicat, versetur

1) De horum vocabulorum usu cf. L. GRASBERGER, Erziehung und Unterricht im klassischen Alterthum. Würzberg 1866, II, p. 1 sqq.

2) PLUT. Lyc. 13: τὸ γὰρ ὅλον καὶ πᾶν τῆς νομοθεσίας ἔργον εἰς τὴν παιδείαν ἀνῆψε.

3) Cf. WACHSMUTH, Hellenische Alterthumskunde² II 1843, p. 367 sqq.

4) Cf. WACHSMUTH, II, p. 349 sqq.

5) Cf. J. P. MAHAFFY, Old Greek Education 1881, p. 112 sqq.

6) C. P. GUNNING, De Sophistis Graeciae praeceptoribus 1915, p. 91—105.

7) o. l. II, p. 11, cui enumerationi addo PHILONIS IUDAEI περὶ παιδεύσεως librum; cf. HIERON., de vir. inl. 11, SUID. s. v. Φίλων.

in iis rebus, quibus opus est adulescenti, ut perfectus orator evadat, multa tamen praecepta exhibet de pueris quoque educandis atque instituendis,[1]) de paedagogica arte unum modo opus antiquum traditum est integrum.

In corpore enim operum moralium PLUTARCHI servatus est libellus, qui inscribitur περὶ παίδων ἀγωγῆς. Cuius libelli quamquam apud veteres scriptores perpauca vestigia inveniuntur,[2]) posterioribus saeculis auctoritas magna erat, quam ut consequeretur non minime effecit interpretatio Latina anno 1410° a GUARINO comparata,[3]) qua interpretatione AENEAS SYLVIUS et MAFFEUS VEGIUS usi sunt in componendis libris, qui sunt „de liberis educandis."[4]) Etiam apud MELANCHTHONEM Plutarchi libellus plurimum valuisse videtur [5]), nam et anno 1519° eum edidit et lectiones publicas de eo habuisse „praeceptorem" illum „Germaniae" apparet e programmate ab eo in lucem emisso.[6]) Inter nostrates DESIDERIUS ERASMUS, qui magnam partem operum moralium Latine vertit, multum tribuit tractatui, qui est περὶ παίδων ἀγωγῆς;[7]) apud Britannos a MILTONE poeta in libro, quem ipse de eodem argumento scripsit, laudatur atque imprimis iuventuti commendatur legendus;[8]) apud Franco-Gallos ROUSSEAU in scribendo libro, cui titulus „Emile", complures sententias a Plutarchi libello mutuatus est;[9]) ne multa: usque ad finem saeculi XVIII[i]

---

1) Cf. QUINT. Inst. Or. I Prooem. 5. ed. L. RADERMACHER, Lipsiae MCMVII.

2) Cf. WYTTENBACH, Animadversiones in Plutarchi Moralia, 1810, I. p. 34.

3) Cf. VOIGT, Wiederbelebung des klassischen Altertums[2] II, 463, 2.

4) Vid. W. H. S. JONES, Quintilian, Plutarch and the early Humanists (The Classical Review 1907, p. 33 sqq.) ibique all. WOODWARD, Vittorino da Feltre p. 25: „The importance of this translation (Guarini sc.) in the development of the humanist ideal of education can hardly be over-existimated . . . The new sense of the dignity of the educated man, of the status of the teacher, of the breadth of the educational aim, which mark Vittorino, Aeneas Sylvius and M. Vegius were found for the first time." cf. RUDOLF HIRZEL, Plutarch. 1912, p. 107.

5) Cf. HIRZEL, Plutarch p. 112, p. 113 adn. 1: „Auch auf Joh. Sturm scheint sie gewirkt zu haben, der in der Schrift „de literarum ludis recte aperiendis" unter „Parentum officia" gegen die plagosi Orbilii sich ebenso ereifert wie früher Aeneas Sylvius."

6) Hoc programma legitur in praefatione editionis HEUSINGERI anni 1749.

7) Cf. HIRZEL o.l.p. 117, ubi laudat HAUFFEN, Symbolae Pragenses 1893, p. 24 sqq.

8) MILTON, On Education, to Samuel Hartlib 1644: cf. M. VISSER, Miltons Prozawerken 1911, p. 79 sqq.

9) HIRZEL, o. l. p. 160.

περὶ παίδων ἀγωγῆς libellus, ut in codicibus et editionibus Moralium operum primum locum obtinebat, ita etiam in existimatione eorum, qui docebant ac praecipiebant, maximi aestimabatur, quin etiam praecepta, in eo data, idonea habebantur, quae eruditionem liberorum moderarentur.[1])

Non mirum multas editiones libelli in lucem prodiisse; multis doctorum virorum commentariis instructus est; complures in linguas versus est.[2]) Magnopere vero obtrectavit eius auctoritati D. WYTTENBACHII Plutarchi Operum Moralium editio (1795—1830). Wyttenbach enim animadversionibus, quibus libellum illustravit, praemisit disputationem, qua ostendere conaretur eius scriptorem non esse Plutarchum Chaeronensem, a cuius ingenio et quod ad tractationem argumenti et quod ad dicendi modum omnino abhorreret.

Nostra aetate Plutarchi libello operam impenderunt GUDEMAN[3]) et praesertim ADOLF DYROFF,[4]) qui disquisitione instituta de fontibus, e quibus auctor hauserit, demonstrare conati sunt imprimis CHRYSIPPI Stoici libellum, cui titulum fuisse contendunt περὶ παίδων ἀγωγῆς, materiam ei praebuisse ad librum componendum.

---

1) Cf. e. g. titulum verbosiorem hunc: „Plutarchi Chaeronensis περὶ παίδων ἀγωγῆς aureus libellus, das ist, das güldene Büchlein Plutarchi von der Kinderzucht. Griechisch und mit besonderem Fleisse aus dem Griechischen übersetzt, auch mit nützlichen Anmerkungen aus der Philosophia, Historia und Antiquitäten versehen, und zum Gebrauch der Schul- und Hauszucht, sowohl Hoher als Niedriger, ans Licht gestellt von Johann Caspar Keydel. Quedlinburg 1738."

2) Separatim libellum περὶ παίδων ἀγωγῆς ediderunt recentioribus aetatibus: OLAUS HESYCHIUS, Lipsiae 1705; IO. JACOBUS KORNIUS, Breslaviae 1738; JOH. CASPER KEYDEL, Quedlinburg 1738; CHR. JUNCKERUS, Lipsiae 1739; JAC. FRID. HEUSINGERUS, Lipsiae 1749; KRETZSCHMAR, Dresd. et Lips. 1750; ABR. KALL, Hafniae 1774; JOH. G. SCHNEIDER, Argentorati 1775; IO. BAEHRENS, Halae 1790; DAN. STEIN, Lips. 1793; W. F. H. SELIGER, Berl. 1824; CH. BAILLY, Paris 1869; J. GENOUILLE, Paris 1869; L. FEUILLET, 1877; praeter interpretationes Latinas GUARINI et XYLANDRI has enumero: Franco-Gallice verterunt V. BETOLAND, Paris 1877; RICARD-LEBOBE, Paris 1876; Germanice C. W. KINDLEBEN 1779; BAEHRENS, Halle 1787; G. CH. KELLNER, Mannheim 1793; J. G. STEINERT, Lips. 1795; H DEINHARDT (Pädagog. Klassiker 8, Wien) 1881; Italice VINCENZO FALCONI, Milano 1889; E. MANTOVANI, Milano 1893.

3) In Prolegomenis ad P. Cornelii TACITI Dialogum de Oratoribus 1894, p. XCIX ed. alt. 1914, p. 93.

4) Die Ethik der alten Stoa, untersucht von Dr. ADOLF DYROFF, Berlin 1897. (Berliner Studien für Classische Philologie und Archaeologie, herausgeg. von Prof. Dr. OSCAR SEYFFERT, Neue Folge Bd. II), p. 238—294).

Horum virorum studia me adduxerunt, ut investigarem, plurane Stoica libello Plutarcheo inessent. Quod cum mihi processisset, apparuissetque libellum quodammodo scatere Stoicis sententiis, quaerendum esse putabam, liceretne hac re cognita argumentis Wyttenbachii aliorumque doctorum virorum concedere, ideoque libellum plane ducere spurium, an prorsus alia ratione de scriptiuncula esset iudicandum. Singula igitur Wyttenbachii aliorumque argumenta mecum animo volutavi atque aestimavi e norma rationeque, quam fontes investigati mihi praebuerant; itaque perspexi Wyttenbachium non solum vehementius in libellum esse invectum, sed etiam eius naturam parum intellexisse.

Quae autem et de fontibus et de auctoritate libelli pro virili parte inquisivi, si non omni pretio momentoque carere videbuntur, gaudebo neque omnino operam oleumque me perdidisse arbitrabor.

CAPUT I.

De libelli cui titulus περὶ παίδων ἀγωγῆς distributione et argumento.

Priusquam de fontibus libelli περὶ παίδων ἀγωγῆς agamus, utile videtur pauca praemittere de distributione. Nam et apparebit distributionem haudquaquam tam pravam esse quam WYTTENBACH arbitretur [1]), et auxilio nobis erit distributio in dignoscenda ea parte libelli, quam postea demonstrabimus continuas fere sententias Chrysippeas praebere.

Distributionem materiae bifariam spectari posse iure commemorat Wyttenbach:[2]) et quod ad rhetoricam et quod ad rem quaestionemque disputationi propositam; alteram nunc mittamus, utpote de qua postea acturi simus, alteram non ad formam externam sed ad materiam ipsam spectantem, elucidemus.

Initio περὶ τῆς τῶν ἐλευθέρων παίδων ἀγωγῆς auctor se scripturum esse pollicetur.[3]) Quid autem ἀγωγήν intellegit? Prima significatio huiusce vocabuli est *ductus*, cum multarum aliarum rerum, tum praesertim, intra fines argumenti de quo agimus, *ductus puerorum*, quod munus paedagogis commissum erat.[4]) Inde significatio oritur *educationis, institutionis*. Deinde vero ἀγωγή, prioris sententiae q. e. *ductus* translata significatione usurpatur ita, ut vim habeat *viae ac rationis, qua quis ad summam morum integritatem perveniat*,[5]) quae vis apud Plutarchum valet ita, ut

1) Animadversiones in Plutarchi Moralia, p. 33 sq. p. 49.

2) Ibid. p. 49.

3) Usus sum editione Plutarchi Operum Moralium, quam curavit BERNARDAKIS Leipz. 1888.

4) GRASBERGER II, p. 3: „ἀγωγή. . . bedeutet als ἀγωγή und παιδαγωγική oder παιδαγωγία eigentlich die Begleitung und Aufsicht des Knabenführers παιδαγωγός innerhalb des elterlichen Hauses.“ Cf. Herod. VIII, 75. Plat. Rep. VI, 491 E.

5) SUIDAS i. v.: ἀγωγὴ λέγεται καὶ ἡ διὰ τῶν ἠθῶν τοῦ τρόπου κατακόσμησις.

non universam educationem institutionemque, sed viam tantum, qua procedat educatio, homines, qui eam conficiant, praesidia, quae adhibeantur, adumbrare in animo habeat.[1]) Hunc sensum inesse verbis, quibus argumentum scriptiunculae proponit auctor, postea clarius apparebit.

Cum autem utile sit puerum ingenio quam optimo et humanissimo praeditum educationi tradi, pauca praefatur de parentum ante ortum puerum cura, quae cura duabus in rebus versetur, primum ne pater filium gignat ex inhonesta, sed e nobili femina (c. 2), tum ut ne cum nobili quidem femina ebrius copuletur (c. 3).

Post hanc praefationem ad ipsum argumentum aggreditur: περὶ δὲ τῆς ἀγωγῆς καὶ δὴ λεκτέον· Wyttenbach[2]) hoc loco intellegit alteram significationem ἀγωγῆς quae est: „consuetudo quotidiana et exercitatio, cui proprie praefectus est paedagogus," ideoque obicit auctori, eum partes educationis non satis acute distinguere: capite V eum agere de *nutritione infantis*, cum cap. III iam dixerit se locuturum esse de *educatione pueri*.[3]) Errare vero videtur Wyttenbach: post praefationem, qua de parentum officiis ante natum puerum agitur, auctor ipse se revocat ad argumentum, quod tum primum ab initio tractare incipit; eadem igitur hoc loco sententia verbo q. e. ἀγωγή inest atque in initio capitis I.

Tum capite IV agitur de indole pueri, qua ipsa natura eum instruxit, quae tamquam ager est, in quem educatores semina praeceptorum spargunt. Praeter hanc naturam vero etiam opus erit exercitatione ac doctrina, quibus, siquando ingenio felici puer praeditus non est, naturae defectus exsarciri possit.

Age, infans natus est, sive bona, sive mediocri indole a natura donatus: educationis est iam inde a primo vitae die operam navare, ut et corpus et animus curetur, quod munus obvenit nutritioni: περὶ δὲ τροφῆς ἐχόμενον ἂν εἴη λέγειν. Τροφή fit per matrem nutricemque neque solum spectat ad corpus firmandum, sed etiam

---

1) Eandem vim vox q. e. ἀγωγή habere videtur in titulo libri Cleanthis περὶ ἀγωγῆς. cf. Dyroff o. l. p. 242: „Was des Kleanthes' Schrift περὶ ἀγωγῆς (ohne παίδων) bezweckte ist uns nicht mehr verständlich." At illa ἀγωγή puerili aetate non finitur.

2) o. l. p. 66.

3) o. l. p. 50.

ad animum moresque iam fingendos (c. 5). Etiam pueri, quibuscum alumnus educetur, prudentissime eligendi sunt (c. 6).

Post infantiae annos puer paedagogo tradendus est nec magistri constituendi non sunt, qui litterarum studio praesint. Summa diligentia cavendum est, ne malis ac nequam hominibus puer committatur (c. 7). Capitibus VIII usque ad XI agitur de ea eruditionis parte, quae παιδεία vocatur. Quod de vocabulo q. e. ἀγωγή diximus, idem de hoc verbo contendere possumus, complures sententias ei inesse. Ut vox ipsa indicat, παιδεία est educatio *puerorum*, deinde vero *educatio et institutio* puerorum; denique complectitur *universam disciplinam atque humanitatem.*[1]) Auctor libelli παιδείαν intellegit *institutionem* et eam discernit ab *educatione.*[2]) Longe abest, ut verba faciat de universa institutione ita ut etiam praecipiat quid ex quaque disciplina puerum discere oporteat, immo παιδεία tractatur tantum quatenus cohaereat cum via rationeque educationis et, externa, ut ita dicam, parte descripta, auctor internam partem silentio fere transit; recte quidem, quippe qui scribat περὶ ἀγωγῆς, περὶ παιδείας non scribat.[3])

Capite VIII παιδεία laudatur atque unum omnium humanorum bonorum immortale et divinae naturae praedicatur. Institutio autem ne puerum ducat ad nimiam de se opinionem, quae praesertim orationibus praemature habendis nascatur. Prudentissime igitur studia rhetoricae artis moderanda sunt (c. 9). De oratoria arte fusius locutus, cetera ἐγκύκλια quae vocantur παιδεύματα auctor obiter tangit. Philosophiam principem locum obtinere ait:

---

1) Plato legg. II, p. 659 D: *παιδεία μέν ἐστιν ἡ παίδων ὁλκή τε καὶ ἀγωγὴ πρὸς τὸν ὑπὸ τοῦ νόμου λόγον ὀρθὸν εἰρημένον.* Grasberger II, p. 1: „*παιδεία* bedeutet ursprünglich Knabenerziehung und Knabenbildung, ist jedoch weiterhin in der Sprache der Hellenen das einfache und vielsagende Wort für Erziehung und Unterricht, überhaupt für Bildung." Hesychius i. v. *παιδεία* : *ἀγωγή, ὠφέλιμος διδαχή, πεῖρα, νουθεσία.* Gellius N. A. XIII, 15: humanitatem appellaverint id propemodum, quod Graeci *παιδείαν* vocant. Cf. Stallbaum ad Plat. Phileb. p. 178; Grasberger II, p. 1 sqq.

2) Cf. cap.: 3: *καὶ ἔθη καὶ παιδεῖαι καὶ διδασκαλίαι κxl βίων ἀγωγαί*; cap. 7 ubi loquitur de magistris: „*πηγὴ γὰρ καὶ ῥίζα καλοκαγαθίας τὸ νομίμου τυχεῖν παιδείας*; cap. 8. *ἀγωγὴ σπουδαίx καὶ παιδεία νόμιμος*; cap. 20: Eurydice *ὀψὲ τῆς ἡλικίας ἥψατο παιδείας.*

3) De Wyttenbachii hac de re annotationibus postea sermo erit.

eam esse remedium affectuum atque animi aegritudinum; idcirco vitae rationem in contemplatione et cognitione positam rerum aliis vitae rationibus esse anteponendam. Haec de doctrina; ut ceteras disciplinas consequantur eos, qui libellum legunt, delegat auctor ad libros antiquorum scriptorum, quorum usum instrumentum doctrinae esse affirmat (c. 10). Cavendum autem est, ne exercitatio corporis neglegatur; verum etiam rebus militaribus puer operam det (c. 11). Tum cap. XII usque ad XV praecepta nonnulla exhibentur iis, qui pueris educandis operam dant, primum ut alumnos adhortationibus potius verbisque incitent quam verberibus (c. 12); deinde ut interdum requies laborum concedatur, ut patres filiorum in discendo progressus cognoscant, ut memoria liberorum exerceatur (c. 13); denique cap. XIV praecepta enumerantur ad morum educationem pertinentia: de turpi sermone, de modestia ostendenda in disputando, de vita sine luxu degenda, de lingua coercenda, ira superanda, manibus coercendis, vero dicendo. De loco difficillimo auctor tum cap. XV agit, quaerens sitne fas puerorum amatoribus concedere, ut eorum consuetudine utantur.

Postrema libelli pars complura praecepta exhibet patribus consideranda. Caveant, licet puer probae educationis particeps factus sit, ne adulescens incidat in vitia, quae eius aetatis sint, sed spe honoris ac metu poenae eum absterreant (c. 16). Iam pueros igitur prohibeant consuetudine improborum hominum ac praesertim adulatorum, quo genere hominum nullum pestilentius sit (c. 17); patres tamen ne severiores acerbioresque in pueros se praebeant, nonnulla vitia se videre dissimulent, cognitis vitiis ignoscant (c. 18). Denique auctor libello finem imponit additis paucis verbis de matrimonio et de uxore filio recte eligenda (c. 19), monitisque patribus, ut semper omnibusque in rebus filiis exemplo sint (c. 20).

Paucis his verbis cum exposuerim ea, quae libello continentur, ut totum argumentum uno quasi aspectu percipiatur utile fortasse est, libri dispositionem ita summatim perscribere:[1])

---

1) Quo facilius perspiciatur, quid intersit inter dispositionem, quam Dyroff praebuit atque eam, quam ego libello inesse existimo, Dyroffii distributionem (p. 244) hic exscribo: ,,Nachdem der Zweck der Erziehung eingangs derselben — recht abrupt — ange-

Argumentum περὶ παίδων ἀγωγῆς cap. 1.

A. De parentibus et de educationis fundamentis, cap. 2—5.

I. de liberorum procreatione, cap. 2, 3.

a. de femina, ex qua puer nascatur, cap. 2.

b. de coitu, cap. 3.

II. de indole et exercitatione, educationis fundamentis, cap. 4.

B. De infantia, cap. 5, 6.

I. de matris ac nutricum officiis, cap. 5.

II. de infantibus, inter quos puerulus educatur, cap. 6.

C. De institutione, cap. 7—11.

I. de paedagogis ac magistris scite eligendis, cap. 7.

II. de doctrina, cap. 8—11.

a. de doctrinae praestantia, cap. 8.

b. de doctrina recte adhibenda, praecipue in arte oratoria, cap. 9.

c. de iis disciplinis, quae ἐγκύκλια παιδεύματα vocantur, et de philosophia, cap. 10.

D. De educatione, cap. 11—20.

I. de corporis educatione, cap. 11.

II. de morum educatione, cap. 12—20.

a. de moribus fingendis, cap. 12—15.

1. de castigatione, cap. 12.

---

deutet ist, wird sofort zu den Erziehungsmitteln übergegangen und 1) über die richtige Beschaffenheit der Eltern und ihrer Verbindung (1a—2a), 2) über die Bedeutung von Naturanlage, Vernunft und Gewöhnung (2a—3b) gehandelt und 3) über den Erziehungsgang, aber diesmal nicht nach Jahren, sondern nach den Erziehungsorganen: und zwar *a*) über Mütter (3c—d), Ammen und Kindermädchen (3d—f), *b*) Kameraden (3f—4a), *c*) Pädagogen (4a—b), *d*) Lehrer (4b—c). Hier wird (4c—5c) über die Wichtigkeit einer richtigen Auswahl der Unterrichtsorgane (παιδευταί 4 d—f; es sind besonders Lehrer 4c und Philosophen 5c gemeint), über den Wert der Bildung (παιδεία) überhaupt (c. 8), über die zweckentsprechende Behandlung der Unterrichtsgegenstände, nämlich Rhetorik (c. 9), Philosophie (c. 10, 7c—8b), Grammatik (Literatur 8b), Gymnastik (c. 11), über die Unterrichtshilfen, Züchtigung, Lob und Tadel (c. 12; vgl. 12c), über Überbürdung (c. 13, 9 b—c), über Beziehung von Haus und Schule (9c—d), Übung des Gedächtnisses (9 d—f) über den Inhalt des erziehlichen (ethischen) Unterrichts im algemeinen (c. 14) und bezüglich einer Besonderheit desselben (c. 15) gesprochen. Dann wird *e*) ganz ausdrücklich vom Regiment der Pädagogen und Lehrer, die ja zeitlich länger zusammenwirken, zum Regiment der Väter hinübergelenkt (c. 16—20; s. besonders 12c, 13a, c, d—f, 14a)."

2. de labore ac remissione alternandis; de puerorum progressibus a patribus cognoscendis; de memoria exercenda, cap. 13.
3. praecepta ad mores fingendos accommodata, cap. 14.
4. quaeritur, sitne fas amatores admittere ad pueros, cap. 15.

b. de moribus corrigendis, cap. 16—20.
1. de vitiis adulescentium corrigendis, cap. 16.
2. de vitanda consuetudine improborum hominum, praesertim adulatorum, cap. 17.
3. de vitiis indulgendo atque ignoscendo, cap. 18.
4. de pravis moribus iusto matrimonio coercendis, cap. 19.

c. de exemplo a patribus dando.

d. epilogus, cap. 20.

CAPUT II.

De Chrysippi περὶ παιδοτροφίας libro Plutarchei libelli fonte.

§ 1. *Qui de fontibus libelli inquisiverint.*

Ubi sermo est de fontibus libelli, de quo agimus, mox apparebit praeter alia agendum esse de CHRYSIPPI Stoici philosophi libro, qui liber priori parti Plutarchei tractatus materiam praebuit. Hoc autem capite ostendam, quo titulo ille Chrysippi liber — periit enim — inscriberetur et quae Plutarchus ex eo hauserit. Antea vero enumerabo eos, qui de fontibus libelli inquisiverunt.

WYTTENBACH non data quidem opera de fontibus egit, neque in disputatione, quam commentario suo praemisit, qua disputatione ostendere conatus est libellum a Plutarcho scriptum non esse, de iis verba fecit, sed tamen in commentario permultos locos indicavit, qui alium scriptorem redolerent.

GUDEMANNUS primus demonstravit, qua via eundum esset, ut ad certum finem perveniri posset. Animadvertit enim [1]) iis ipsis locis, quos Plutarchi liber communes habet cum QUINTILIANI Institutione Oratoria, aliquoties nomen CHRYSIPPI legi, ex quo collegit utrumque auctorem et his locis et aliis, quibus eadem fere uterque diceret, licet nomen Chrysippi Quintilianus ibi non afferret, ex eodem fonte hausisse, e Chrysippi scilicet libro cui, immerito quidem, ut mox ostendam, titulum fuisse putat περὶ παίδων ἀγωγῆς.

Exquisitius huic rei operam dedit ADOLF DYROFF [2]) qui, nondum cognito Gudemanni opere, eodem fere tempore idem perspexit,[3])

1) P. Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus 1894. Prolegg. p. XCIX, ed. alt. 1914, p. 93.

2) Die Ethik der alten Stoa, Berlin 1897, p. 238 sqq.

3) Ibid. p. 238 adn. 2.

atque insuper ostendit, praeter locos, quos Quintilianus quoque affert, multa alia esse in Plutarchi libello, quae auctor debeat Stoicae doctrinae.

Ad priorem tractatus Plutarchei partem conferenda erit disputatio [1]) de diatribe Favorini a Gellio tradita (N. A. XII, 1), quam disputationem scripsit WILHELM SCHICK. Ea enim diatribe sermo est de nutritione infantium, quem locum etiam apud Plutarchum invenimus; cuius loci originem atque errores, quibus per litteras antiquas circumactus est, Schickius perscrutatur.

Denique mihi commemoranda est disputatiuncula JONESI,[2]) qui quamquam Quintiliani quoque locos comparavit cum Plutarchi opusculo, tamen fontem communem Stoicum non repperit, immo vero Plutarcheum libellum pendere vult e Quintiliano.

Eos, qui inquisiverunt, essetne libellus scriptus a Plutarcho necne, postea enumerabo.

§ 2. *Chrysippum scripsisse librum* περὶ παιδοτροφίας.

Auctorem libelli Plutarchei, quisquis ille fuit, seu Plutarchus, sive alius quis, materiam hinc illinc congessisse et ubi utile quid apud quemcunque auctorem inveniret ad propositum suum, inde id prompsisse, olim viris doctis persuasum erat.[3]) Ne WYTTENBACH quidem, quamquam complures Quintiliani locos attulit, qui eodem fere pertinent ac Plutarchi verba, artius esse vinculum vidit inter utrumque auctorem. GUDEMANNO et imprimis DYROFFIO contigit, ut demonstrarent et Quintilianum et Plutarchum, quem Pseudo-Plutarchum putant esse, quoquomodo pendere e Chrysippi aliorumque Stoicorum scriptis, ita ut nunc temporis nemo sit, quin videat

---

1) WILHELM SCHICK, Favorin *περὶ παίδων τροφῆς* und die antike Erziehungslehre, Leipzig 1911.

2) W. H. S. JONES, Quintilian, Plutarch and the early Humanists (The Classical Review 1907, p. 33 sqq.).

3) WYTTENBACH o. l. p. 64: „ut locis communibus, sententiolis, flosculis oratoriis aliunde decerptis contineatur . . . supra satis ostendimus." GRASBERGER II, p. 10: „Der Verfasser empfiehlt, ohne eigentliche geistige Schärfe, eine religiös sittliche Erziehung, mit neuplatonischer Anschauung von der Sündhaftigkeit der Menschen. *Er ist Synkretist* und wahrscheinlich Zeitgenosse Hadrians."

auctorem non fuisse „syncretistam",[1]) sed hoc saltem libello praecepta Stoica pleraque protulisse.

Profecti sunt ab iis locis parallelis, quibus Quintilianus Chrysippum nominatim affert:

Plutarchus.	Quintilianus.
de nutricibus 3 d e.	I, 1, 4 (I, 1, 22).
	I, 1, 16.
de castigatione 8 f.	I, 3, 14.

Quibus locis inter se comparatis, quoniam apparet utrumque scriptorem praecepta certe nonnulla ex eodem fonte hausisse, haud dubium est, quin item alii loci, quibus Plutarchus et Quintilianus eadem volunt, ex eodem fonte profluxerint.

Haec autem inter se conferenda sunt:

Plutarchus.	Quintilianus.
de sodalibus 3 f.	I, 1, 7.
de paedagogis 4 a.	I, 1, 8.
(de magistris 4 e.	I, 1, 10).
de requiete 9 c.	I, 3, 8.
(de artibus liberalibus 7 c.	I, 10, 1, cf. I, 10, 15.
de indole 2 c.	I, 1, 2).

Variae hinc oriuntur quaestiones. Qui Chrysippi libello, e quo uterque hausit, erat titulus? Cur apud Plutarchum non nominatur Chrysippus? Cetera praecepta, quae apud Quintilianum non leguntur, ex eodem Chrysippi libro hausta sunt an ex alio? Ne multa: *ad tractatum Plutarcheum recte intellegendum ante alia definiendum est, quae ratio ei intercesserit cum Chrysippo ac ceteris philosophis Stoicis.*

Chrysippum autem permultos libros scripsisse cognovimus et aliunde et e catalogo, quem Diogenes Laërtius (VII, 89) tradidit.[2]) Sed hic catalogus mutilus est: „logicorum quidem index, qui

---

1) Cf. Dyroff, p. 258: „Es ist demnach nicht notwendig bei Ps. Plutarchos zu dem Auskunftsmittel des Synkretismus zu greifen, sondern es lässt sich dem Autor oder seiner Vorlage eine ganz bestimmte philosophische Richtung zuerkennen, nämlich die der alten Stoa, welche zwischen Aristoteles und Kynismus die Mitte hielt."

2) Zeller—Wellmann, Die Philosophie der Griechen III, 1, 1909, p. 43.

primo loco ponitur, si totum spectes, optime servatus est, physicorum totus intercidit cum maxima parte moralium."[1]) Inter haec opera moralia titulum, quem quaerimus, fuisse veri simillimum est. Alibi igitur investigandum est. QUINTILIANUS Instit. Orat. I, 11, 17 haec dicit: ,,cum praesertim haec chironomia, quae est (in nomine ipso declaratur)lex gestus, et ab illis temporibus heroicis orta sit et a summis Graeciae viris atque ipso etiam Socrate probata, a Platone quoque in parte civilium posita virtutum et *Chrysippo in praeceptis de liberorum educatione compositis* non omissa." En, habemus de Chrysippi scripto indicium. Ex his Quintiliani verbis JONSIUS [2]) primus titulum libri collegit ita, ut legeretur Graece: περὶ παίδων ἀγωγῆς. Cui tacite GUDEMAN assentitur.[3]) Fusius distinctiusque DYROFF de titulo agit. Docet Plutarchum (Stoic. rep. 1035 b) commemorare titulum Chrysippi περὶ παιδοτροφίας libri; tum sic ratiocinatur: Plutarchum hoc loco omnino non id contendere, ut ipsos librorum titulos exhibeat, neque aliorum librorum titulos ibi accurate eum exscribere; idcirco non multum tribuendum esse titulo, qui sit περὶ παιδοτροφίας; cur Chrysippum de infantium aetate tantummodo acturum fuisse? ,,Angesichts der formellen Unzuverlässigkeit der Plutarchstelle ist es daher richtiger sich an des Quintilianus ,,in praeceptis *de liberorum educatione* compositis" zu halten, wodurch die Übersetzung περὶ παίδων ἀγωγῆς gefordert wird; dieser Titel ist auch allgemein angenommen, und noch niemand wurde durch das stilistisch notwendige ,,praeceptis compositis" veranlasst, etwa an einen Titel wie παιδευτικοὶ νόμοι zu denken."[4])

Qua vero in re cum Dyroffio facere non possum. Primum de Plutarchi loco agamus, quem exscribere utile videtur:[5]) "Ἀλλὰ

---

1) IOANNES AB ARNIM, Stoicorum veterum fragmenta, Lipsiae MCMV, I, in Epimetro quod praefationi operis addidit de librorum Chrysippi indice Laërtiano, p. XLVIII.

2) De Scriptor. Hist. Phil. II, 8. cf. Wyttenb. o. l. p. 66.

3) o. l. p. XCIX: ,,The education of children was frequently made the subject of monographic treatment by the ancients, more particularly by the Greeks. The originals have unfortunately been entirely lost, or preserved only in meagre and insignificant fragments, but among these Chrysippos' *περὶ παίδων ἀγωγῆς* seems to have been the most extensively used" q. s.

4) o. l. p. 240.

5) De Stoic. repugn. p. 1035b, AB ARNIM II, frgm. 30.

τοῦτόν γε τὸν λόγον, ὃν ἔσχατόν φησι δεῖν τάττεσθαι ⟨τὸν⟩ περ. θεῶν, ἔθει προτάττει καὶ προεκτίθησι παντὸς ἠθικοῦ ζητήματος· οὔτε γὰρ περὶ Τελῶν, οὔτε περὶ Δικαιοσύνης, οὔτε περὶ Ἀγαθῶν καὶ Κακῶν, οὔτε περὶ Γάμου καὶ Παιδοτροφίας οὔτε περὶ Νόμου καὶ Πολιτείας φαίνεται τὸ παράπαν φθεγγόμενος, εἰ μή, καθάπερ οἱ τὰ ψηφίσματα ταῖς πόλεσιν εἰσφέροντες προγράφουσιν Ἀγαθὴν Τύχην, οὕτω καὶ αὐτὸς προγράψειε τὸν Δία, τὴν Εἱμαρμένην, τὴν Πρόνοιαν, τὸ συνέχεσθαι μιᾷ δυνάμει τὸν κόσμον, ἕνα ὄντα καὶ πεπερασμένον.'

Perquiramus, qua ratione Plutarchus hoc loco titulos commemoraverit.[1]) De primo ac secundo vix dubitari potest, neque Dyroff verba fecit: περὶ Τελῶν liber et a Diogene Laërtio et a Plutarcho laudatur; modo eum vocant περὶ Τελῶν, modo περὶ Τέλους[2]): veri simile igitur est utroque titulo librum eundem inscriptum fuisse; περὶ δικαιοσύνης librum saepius hoc nomine Plutarchus affert, semel Sextus Empiricus, Diogenes semel, semel Diogenes librum περὶ δικαίου commemorat.[3]) Hos titulos igitur recte Plutarchus affert, Dyroffium offendunt hi: περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν et περὶ νόμου καὶ πολιτείας. Chrysippum scripsisse constat librum περὶ ἀγαθῶν et librum, cui titulus περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν εἰσαγωγή si Origenem,[4]) vel εἰσαγωγὴ τῆς περὶ Ἀγαθῶν καὶ κακῶν πραγματείας si Athenaeum [5]) sequimur. Nemo vero est, quin concedat et Plutarchum et Origenem et Athenaeum eundem librum spectare. Nonne et nobis saepe accidit, ut de libro quodam dicentes partem tituli longioris afferamus? Accedit, quod Plutarchum ipsum argumentum indicare in animo habere Dyroff ipse demonstrat; quid mirum, si eam partem tituli exscribit, quae argumentum contineat; ut mittamus quod necessitas periodi componendae eum coegit, ut praepositione

---

1) Cf. Birt, Hermeneut. und Kritik 1914, p. 299 sqq; p. 153 sqq.

2) *περὶ Τελῶν* Diog. Laert. VII, 85, 87; Plut. l. l.; *περὶ Τέλους* Diog. Laert. VII, 91; Plut. de Stoic repugn. cap. 19, de comm. not. cap. 19 p. 1062 c.

3) Plut. de Stoic. repugn. cap. 15 p. 1040 c. ibid. cap. 17 p. 1041 f, cap. 32 p. 1049 a; de comm. not. cap. 25 p. 1070 d; Sext. Emp. adv. math. XI, 192; Diog. Laert. VII, 129, 188; libros *περὶ Δικαιοσύνης πρὸς Πλάτωνα* et *περὶ Δικαιοσύνης πρὸς Ἀριστοτέλην* ab Arnim partes eiusdem operis fuisse suspicatur; cf. ab Arnimo. l. III, p. 195.

4) Contra Celsum IV, 63, ab Arnim III, p. 196.

5) Deipnosoph. IV, p. 159d, XI p. 464 d.

q. e. περί uteretur, qua re eo facilius adductus est, ut vocem q. e. εἰσαγωγή omitteret.

Quod ad titulum alterum, de quo Dyroff agit, titulum dico q. e. περὶ νόμου καὶ πολιτείας: Plutarchus [1]) commemorat Chrysippi opus περὶ νόμου unum librum, ut videtur, complectens atque etiam Marcianus [2]) hunc librum laudat; unus liber περὶ πολιτείας affertur a Plutarcho [3]), a Diogene Laërtio [4]), a Sexto Empirico. [5]) Veri simile mihi videtur Plutarchum hos duos libros, quippe agentes de rebus artissime inter se coniunctis, uno quasi spiritu pronuntiare, atque id eo potius — iterum dico — cum praesertim ipsum argumentum, non titulos sibi proponat. Sed etiamsi Dyroffio, Philodemum secuto, [6]) concedamus titulum fuisse περὶ πόλεως καὶ νόμου, argumentum indicatur idem.

In hac autem enumeratione argumentorum a Chrysippo tractatorum mentio facta est tituli q. e. περὶ γάμου καὶ παιδοτροφίας. Ut libros περὶ νόμου et περὶ πολιτείας, ita hos libros, quorum argumenta inter se cohaereant, Plutarchus coniungere videtur, id quod tacite Dyroff concedit. [7]) Cur vero sumamus Plutarchum hunc titulum mutasse, atque id non ita, ut alio vocabulo solum uteretur, argumentum idem indicaret, sed ut mutato verbo alia quoque res significaretur? Librum quendam περὶ παίδων ἀγωγῆς hic Plutarchum significare vult Dyroff. At non solum nusquam alibi huius libri titulus invenitur (de Quintiliani loco infra agam), sed etiam discrimen inter quam Graeci παιδοτροφίαν et quam παίδων ἀγωγήν vocant tantum est, ut haud credi possit Plutarchum id discrimen neglexisse. Παιδοτροφία enim est nutritio et educatio infantium, ut Dyroff [8]) recte Germanice vertit ,,die Kinderpflege

1) De Stoic. repugn. cap. 11, p. 1037f, AB ARNIM III, frgm. 175.

2) Libr. I institut. (Vol. I p. 11, 25 Mommsen) AB ARNIM III, frgm. 314.

3) De Stoic. repugn. cap. 21, p. 1044 b, AB ARNIM III, frgm. 706, ibid. cap. 21 p. 1044 d AB ARNIM III, frgm. 714.

4) VII, 34, AB ARNIM III, p. 203; VII, 131, AB ARNIM III, frgm. 728; VII, 188, AB ARNIM III, frgm. 744.

5) Adv. math. XI, 192; Pyrrh. Hyp. III, 246, AB ARNIM III, frgm. 745.

6) Apud GOMPERZ, Zeitschr. f. d. Österr. Gymn. 1878, 254.

7) Cf. p. 237. Cur autem non item de libris *περὶ νόμου καὶ πολιτείας* iudicandum sit, perspicuum non est.

8) De significatione vocis q. e. *παιδοτροφία* cf. XENOPH. Oec. 7, 21; TELETEM ap. STOB. flor. 98, 72, ubi Wyttenbach recte *παιδοτροφίαν* legit pro voce q. e. *παιδοποιΐαν*,

in den ersten Lebensjahren"; παίδων vero ἀγωγή ad universam puerorum educationem spectat. Propterea non video, cur putemus Plutarchum hoc loco partem educationis indicasse pro universa educatione; itaque nego hoc Plutarchi loco non apparere Chrysippum librum scripsisse περὶ παιδοτροφίας; quod nos quidem sciamus, eum omnino non scripsisse περὶ παίδων ἀγωγῆς, contra Jonsium, Gudemannum, Dyroffium postea demonstrabo. Prius mihi respondendum est Dyroffio dicenti: ,,Nicht erfindlich ist, warum Chrysippos gerade nur über ,,die Kinderpflege in den ersten Lebensjahren" hätte handeln sollen, was doch παιδοτροφία der Etymologie nach bedeutet".[1])

Wilhelm Schick in disputatione, cuius titulum ,,Favorin περὶ παίδων ἀγωγῆς und die antike Erziehungslehre" supra iam commemoravi, nutritionis infantium tractationem fuisse locum communem apud veteres philosophos ac medicos ostendit. Afferam Schickii verba, ut perspiciamus haud sine momento hunc locum iudicatum esse a philosophis eumque, separatum a reliqua parte educationis, ab iis tractatum esse. ,,Dasz das Ammenthema" inquit[2]) ,,von der Moralphilosophie selbständig und aus dem Zusammenhang der Erziehungslehre losgelöst behandelt wurde, beweist . . . auch Ambrosius de Abr. I, 7, 63, der zu Gen. 21, 7 bemerkt: moralis locus. provocantur feminae meminisse dignitatis suae et lactare filios suos . . . denique eos plus amare filios solent, quos ipsae matres lactaverint uberibus suis".[3]) Musonii quoque verba Schick memorat in Sacris Parallelis Ioannis Damasceni tradita.[4]) Musonius ait etiam feminis esse philosophandum: philosophiam eas cum multa alia docere, tum etiam ne labores effugiant: ὡσαύτως δὲ καὶ

---

cf. Dyroff p. 240, n. 1. Soranus quoque ea parte libri cui titulus *περὶ γυναικείων παθῶν*, quae inscribitur *ὁ παρὶ παιδοτροφίας λόγος* (cap. XXVI—XLVIII) non solum agit de ipsa nutritione infantis, verum etiam de cura, quae post nutritionem in puero educando consumitur: cf. Schick p. 5.

1) p. 239.

2) p. 2, n. 4.

3) Cf. Plut. *περὶ παίδ. ἀγωγ.* cap. 5, p. 3c: *δεῖ δὲ, ὡς ἐγὼ ἂν φαίην, αὐτὰς τὰς μητέρας τὰ τέκνα τρέφειν καὶ τούτοις τοὺς μαστοὺς ὑπέχειν· συμπαθέστερόν τε γὰρ θρέψουσι καὶ διὰ πλείονος ἐπιμελείας, ὡς ἂν ἔνδοθεν καὶ τὸ δὴ λεγόμενον ἐξ ὀνύχων ἀγαπῶσαι τὰ τέκνα.*

4) ed. Hense (1905), p. 11, Stob II, 31, 126, p. 244.

τὸν μὲν πόνον μὴ ἐκτρέπεσθαι, τὴν δὲ ἀπονίαν μὴ διώκειν ἐξ ἅπαντος. ὅθεν εἰκὸς εἶναι τὴν γυναῖκα ταύτην καὶ αὐτουργικὴν καὶ κακόπαθον, οἵαν ἃ μὲν ἂν τέκῃ τρέφειν μαστῷ τῷ ἑαυτῆς. Quo loco demonstratur philosophos hanc rem docuisse. Loci communis fontibus inquisitis, quam ad inquisitionem medicos quoque scriptores adhibet, patefieri contendit originem loci esse ponendam ante Stoicos philosophos: „Trotz der gefundenen Berührungen zwischen dem Erziehungstopos und der Medizin ist es vielmehr am wahrscheinlichsten, dasz gewisse physiologische Grundvorstellungen schon dem ursprünglichen der Philosophie angehörigen Erziehungsthema eigen gewesen sein müssen, die nicht erst später, als die Medizin sich seiner bemächtigte, an ihm haften blieben. Denn auch bei Ps.-Plutarch d. h. der Stoischen Fassung sind unterdrückte Reste dieser Argumentation, sie tritt aber bei ihm in den Hintergrund. Daraus ergibt sich die Vermutung, den ganzen Gemeinplatz für älter, für *vorstoisch* zu halten: da die physiologische Seite bei den ausgesprochen Stoischen Parallelen (Ps.-Plut., Tac., Quint.) zurücktritt, so gut sie auch, wie Favorins vermittelnde Stellung zeigt, mit der Schullehre zu vereinigen gewesen wäre, so sind wir notwendig auf die andere, nichtstoische Fassung des Ammenthemas als die ursprünglichere hingewiesen, auf die Gruppe die für uns durch Soran (Aetius), Myia und Favorin repräsentiert ist."[1])

Cum igitur locus de nutritione infantium a philosophis non solum dignus putaretur, de quo agerent, sed etiam tanti momenti, ut seorsim eum persequerentur, cum etiam philosophos, qui ante Chrysippum fuerint de eo scripsisse veri simile sit, cur miremur Chrysippum quoque, quem quid in Stoicis praetermisisse Cicero roget,[2]) hoc de argumento libellum scripsisse?

At alterum habemus testimonium, quo videtur sermo esse de Chrysippi libello, cui testimonio multum tribuerunt viri docti in titulo libri Chrysippei constituendo. Quaeramus igitur, quid hac de re iudicandum sit.

---

1) p. 25 Ad Schickii conclusionem vero cf. Jaeger, B. Ph. W. 1913, 164—167; Bock, Burs. Jahresb. CLXX, p. 266 sq.

2) de fin. I, 2, 6.

§ 3. *De Chrysippi* περὶ παιδοτροφίας *libelli apud Quintilianum testimonio.*

Ea, quae superiore paragrapho dixi de titulo, quem apud Plutarchum invenimus, fortasse facile quis concedere posset, nisi quominus mihi assentiretur, eum impediret Quintiliani locus, quem supra iam commemoravi. Primo Institutionis Oratoriae libro Quintilianus agit de puerorum, priusquam rhetori traduntur, educatione atque institutione. ,,Ego'' inquit ,,cum existimem nihil arti oratoriae alienum, sine quo fieri non posse oratorem fatendum est, nec ad illius rei summam nisi praecedentibus initiis perveniri, ad minora illa, sed quae si neglegas, non sit maioribus locus, demittere me non recusabo nec aliter quam si mihi tradatur educandus orator, studia eius formare ab infantia incipiam.''[1]) Saepius autem primo hoc libro sententias Chrysippi praebet, quas e ,,praeceptis de liberorum educatione compositis'' sumpsisse videtur, quem titulum a doctis viris Graece versum esse περὶ παίδων ἀγωγῆς supra dixi. Sed mox eos locos diligentius explorantibus nobis apparebit, quod ad argumentum nihil obstare, quominus Quintilianum deprompsisse eos putemus e Chrysippi libro, cui titulus fuerit περὶ παιδοτροφίας. Quaeritur igitur, nonne Quintilianus verbis, quae sunt: ,,praecepta de liberorum educatione composita''[2]) librum περὶ παιδοτροφίας designaverit.

Primum videamus liceatne per ipsa verba.[3]) Vox quae est *educare* eiusque derivata *educatio*, *educator* duplicem habent significationem; primo valent *nutrire*, *nutritio*, *nutritor*, quae sententia ad corpus imprimis spectat, tum vero *instituere*, *institutio*, *institutor*, quam vim cum habent, ad animum pertinent. Haec autem verborum significatio usitatior esse videtur, itaque JONSIUS ac post eum GUDEMAN et DYROFF etiam hoc Quintiliani loco verbis q. s. ,,educatio liberorum'' sententiam ,,institutionis ac disciplinae liberorum'' (quam Graeci vocant παίδων ἀγωγήν) inesse putaverunt. Fieri

---

1) Inst. Or. I, Prooem. 5.

2) I, XI, 17.

3) Agitur de verbis q. s. ,,de liberorum educatione''; verba q. s. ,,praeceptis compositis'' cave titulo adnumeres.

vero posse, ut iis verbis sententia quoque „nutritionis liberorum" (quam Graeci vocant παιδοτροφίαν) tribuatur, aliunde patefit. Conferamus Cic. de fin. VII, 19, 62: „Atque etiam in bestiis vis naturae inspici potest; quarum in foetu et in *educatione* laborem cum cernimus, naturae ipsius vocem videmur audire"; Plin. Nat. Hist. XVI, 39 (de arboribus sermo est): „Pariunt vero cum florent, flosque ille ruptis constat utriculis. *Educatio* in pomo est: hoc et germinatio, laborum"; ibid. XXXVII, 59: „In *educatione nutricibus lactis foecunditatem,* infantium quoque alligata collo salivam facere dicitur (galaxia)"; ibid. IX, 15: „*educat mammis* foetum (vitulus marinus)"; Varro fr. 5 (Riese): „educit obstetrix, *educat nutrix,* instituit paedagogus, docet magister." Quibus locis[1]) satis plane iam apparet Quintilianum titulum Chrysippi libri περὶ παιδοτροφίας recte Latine vertere potuisse „de liberorum educatione."

Plura sunt. Ipse Quintilianus alibi eidem verbo q. e. *educatio* eandem vim attribuit quam habet locis modo laudatis. „Parva docemus" inquit (I, 1, 21) „oratorem instituendum professi, sed est sua etiam studiis infantia, et ut *corporum* mox fortissimorum *educatio a lacte cunisque initium ducit,* ita futurus eloquentissimus edidit aliquando vagitum" q. s. Locus, quem sine dubio et Plutarchus et Quintilianus prompserunt e Chrysippi libello, apud Plutarchum his verbis legitur: 'Οὐ τοίνυν οὐδὲ τοῦτο παραλιπεῖν ἄξιόν ἐστιν, ὅτι καὶ τὰ παιδία τὰ μέλλοντα τοῖς τροφίμοις ὑπηρετεῖν καὶ τούτοις σύντροφα γίγνεσθαι ζητητέον πρώτιστα μὲν σπουδαῖα τοὺς τρόπους κ. τ. λ.' (cap. 6); apud Quintilianum ita legimus: „De pueris, inter quos *educabitur* ille huic spei destinatus, idem quod de nutricibus dictum sit" (I, 1, 7). Παιδία σύντροφα igitur Latine vertit: „pueri inter quos *educabitur* ille".

Quod ad verba haec hactenus. Iam ad locum Quintiliani ipsum

---

1) Cf. praeterea Cic. de nat. deor. II, 34: „omnium autem rerum, quae natura administrantur, seminator et sator et parens, ut ita dicam, atque *educator et altor* est mundus"; pro Planc. 33, 81: „quis est nostrum liberaliter educatus, cui non *educatores,* cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus ipse, ubi *altus* aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur; Orat. 13, 42: „sed quod *educata* huius *nutrimentis* eloquentia, ipsa se postea colorat et roborat, non alienum fuit, de oratoris quasi incunabulis dicere."

aggrediamur, ut investigemus, nonne etiam quod ad rem appareat Quintilianum hic libellum περὶ παιδοτροφίας indicasse; vel potius dicam, ut quaeramus, num quid obstet, quominus hoc factum esse putemus. Utile autem videtur totum locum exscribere:[1] „Ne illos quidem reprehendendos puto, qui paulum etiam palaestricis vacaverunt. non de iis loquor, quibus pars vitae in oleo, pars in vino consumitur . . . sed nomen est idem iis, a quibus gestus motusque formantur, ut recta sint bracchia, ne indoctae, rusticae manus, ne status indecorus, ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculique ab alia corporis inclinatione dissideant . . . . et certe, quod facere oporteat, non indignandum est discere, cum praesertim haec chironomia, quae est (in nomine ipso declaratur) lex gestus, et ab illis temporibus heroicis orta sit et a summis Graeciae viris atque ipso etiam Socrate probata, a Platone quoque in parte civilium posita virtutum, et Chrysippo in praeceptis de liberorum educatione compositis non omissa."

Sermo igitur est de exercitatione corporis, qua cavendum est, ne corpus fiat indecorum neve minus aptum ad motus gesticulationesque elegantiores. Qua de re etiam Platonem locutum esse Quintilianus dicit.[2] Tum vero commemorat hanc corporis exercitationem a Chrysippo in praeceptis de liberorum educatione non omissam esse. Haec verba GUDEMAN ita interpretatus est, quasi ansam praeberent coniecturae Chrysippi libellum perfectum ac completum fuisse. „The last phrase" inquit, „also bears witness to the completeness of the Greek treatise, for to say „nor has this been omitted by Chrysippos in his precepts" etc., implies that Quintilian would have been very much surprised had he done so."[3]

Non omnino vero hac cum interpretatione facio. Etenim si Quintilianus revera tantopere miratus esset, si Chrysippus hac de re verba non fecisset, idcirco omnino non mirum ei videretur Chrysippum rem attigisse neque ei necesse fuerat id dicere, nedum his verbis; immo vero laudat Chrysippum etiam huius rei in libello,

---

1) Quint. Inst. Or. 1, 11, 15 sqq., cf. AB ARNIM III, frgm. 737.

2) Cf. legg. p. 795e, 813b. Cf. praeterea XEN. Symp. II, 19, Mem. I, 2, 19; 4, 13. PLUT. de Herod. malign. p. 867b; vide MUNRO ad LUCR. IV, 740.

3) o. l.p.C. n. 199.

quo περὶ παιδοτροφίας ageretur, mentionem fecisse. Quid enim infantis aetas cum chironomia? Attamen Chrysippus putat iam inde hanc corporis exercitationem initium capere debere, ac propterea Quintilianus dicit chironomiam ab eo non esse omissam, quod si fecisset, iure nemo aegre ferre poterat.

Quid vero Chrysippus praecepit de chironomia? Manifesto ea, quae attinent ad infantis educationem.[1]) Indicium praeceptorum, quae Chrysippus hac de re dedit, inesse videtur his Plutarchi verbis: 'ὥσπερ γὰρ τὰ μέλη τοῦ σώματος εὐθὺς ἀπὸ γενέσεως πλάττειν τῶν τέκνων ἀναγκαῖόν ἐστιν, ἵνα ταῦτ' ὀρθὰ καὶ ἀστραβῆ φύηται, τὸν αὐτὸν τρόπον ἐξ ἀρχῆς τὰ τῶν τέκνων ἤθη ῥυθμίζειν προσήκει.' [2]) Huic enim loco necessitudinem quandam esse cum Chrysippi verbis et contextus significat, ut mox patefaciam et veri simile fit ex eo, quod Quintilianus alibi idem fere praebet:,, et ut corpora ad quosdam membrorum flexus formari nisi tenera non possunt, sic animos quoque ad pleraque duriores robur ipsum facit.''[3]) Ad eandem rem spectant verba supra laudata: ,,et ut corporum mox fortissimorum educatio a lacte cunisque initium ducit, q. s.''[4]) Quintiliani autem de chironomia verba tantummodo ad hunc locum, quo morum cum corporis educatione comparatur, spectare, veri simile non est. Quoniam enim ,,corporum mox fortissimorum educatio a lacte cunisque initium ducit'' et Chrysippus ,,nutricibus triennium dedit'' [5]), sine dubio nutricibus praecipit, quae exercitatio corpori tenero adhibenda sit, ut rectum decorumque evadat.[6])

---

1) Veri simile videtur verba q. s. *εὐθὺς ἀπὸ γενέσεως* non profluxisse e Chrysippi libello; Chrysippum enim locutum esse de exercitatione corporis eorum infantium, qui aliquantum temporis in vita iam degissent, apparet e Galeno. cf. Zeller-Wellm. p. 302. n. 1: ,,Dyroff sucht nachzuweisen, dass Ps-Plutarch . . . vieles von Chrysipp entlehnt hat. Dass er die *ersten* Anfänge der körperlichen Erziehung, *auch schon im Mutterleibe*, vernachlässigt habe, macht Galen. De Hippocr. et Plat. V, 5 S. 465f. K. 444, 11, M. mit Posidonius Chrysippus zum Vorwurf.''

2) cap. 5 p. 3c.

3) I, 1, 22.

4) I, 1, 21.

5) I, 1, 16.

6) Eodem de argumento Arist. Polit. VII, 19: *πρὸς δὲ τὸ μὴ διαστρέφεσθαι τὰ μέλη δι'ἁπαλότητα χρῶνται καὶ νῦν ἔνια τῶν ἐθνῶν ὀργάνοις τισὶ μηχανικοῖς, ἃ τὸ σῶμα ποιεῖ τῶν τοιούτων ἀστραβές.* Plat. Rep. p. 377c: *τοὺς δ'ἐγκριθέντας (μύθους) πείσομεν τὰς τρόφους τε καὶ μητέρας λέγειν τοῖς*

Haudquaquam post ea, quae dixi, facere possum cum Dyroffio dicente: „Dasz Chrysippos in der Schrift περὶ παίδων ἀγωγῆς auf die Rhetorik sich eingelassen hatte, geht aus der Erwähnung der χειρονομία in derselben (Quint. I, 11, 17) vor."[1]) De chironomia verba quidem fecit, at modo de exercitatione parvuli corporis; quam exercitationem licet utilem esse ei, qui postea oratoris munere functurus sit, nemo negaverit, tamen inde colligere fas non est Chrysippum de rhetorica egisse in libello, quem Quintilianus laudat, quod ultro minime fuisset eius, qui περὶ παιδοτροφίας, de prima liberorum aetate scriberet. Accedit, quod neque Plato locis modo indicatis chironomiam coniungit cum rhetorica neque Quintilianus eam magna utilitate esse putat puero, qui postea rhetoricae studebit: „A me tamen nec ultra pueriles annos retinebitur (ea disciplina) *nec in his ipsis diu.* neque enim gestum oratoris componi ad similitudinem saltationis volo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, unde nos non id agentis furtim decor ille discentibus traditus prosequatur."[2])

His omnibus perpensis apparet nullam esse causam, cur sumamus Chrysippum libellum scripsisse περὶ παίδων ἀγωγῆς. Nusquam hunc librum antiqui testantur: locum Quintiliani, unde titulus collectus est, sine dubio pertinere ad libellum aliunde notum demonstravi. Accedit, quod ne Galenum quidem, quamvis titulis librorum afferendis delectetur, libri περὶ παίδων ἀγωγῆς mentionem facere ipse Dyroff concedit: „der sonst mit Büchertiteln nicht zurückhaltende Galenos (erwähnt) keine Schrift π.π.ἀγωγῆς."[3]) Sane Schick: „Schlieszlich" inquit „steht der Nichterwähnung des Titels π. παίδ. ἀγ. eben die Aufzählung der Erziehungsorgane gegenüber,"[4]) sed hanc enumerationem tunc temporis vulgatum fuisse locum consentaneum est.[5])

παισὶ καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν τοῖς μύθοις πολὺ μᾶλλον ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσίν. Cf. Legg. p. 789E, Alcib. I, p. 121D.

1) p. 277 n. 2.

2) I, 1, 19.

3) p. 289 n. 4.

4) p. 24 n. 43. Sermo est de Gal. Quod an. mor. 21, IV, 815 K.

5) Cf. Plut. Quomodo adulesc. poet. aud. deb. p. 36e.

Paucis age complectar, quae de Chrysippi libello dixi. Haec fere sunt: *Plutarchum tradere titulum libelli Chrysippei hunc: περὶ παιδοτροφίας; nullam esse causam, cur diffidamus Plutarcho hunc titulum laudanti; argumentum enim q. e. παιδοτροφία ab aliis quoque philosophis seorsim ab universa educatione atque institutione liberorum tractatum fuisse; omnino opus non esse titulum, quem Quintilianus afferat, Latine reddere περὶ παίδων ἀγωγῆς, id quod hucusque viri docti fecerint; sed Quintilianum eundem libellum indicare ac Plutarchum, quam rem quominus sic se habere putemus, non obstare Quintiliani locum; nusquam alibi legi titulum libri Chrysippei; itaque eum fuisse περὶ παιδοτροφίας.*

Iam ostentaturus sum ea, quae et Plutarchus et Quintilianus hauserint e Chrysippi libello, talia esse, ut facile quis concedat fieri posse, ut deprompta sint e libro, cui titulus esset περὶ παιδοτοφίας, minime vero necesse esse propter ea, quae libro continerentur, putare titulum fuisse περὶ παίδων ἀγωγῆς. Quae Plutarchus praeter haec philosophiae ac scriptis Chrysippeis debuerit, quoque modo eum haec adeptum esse putem, postea mihi demonstrandum erit.

§ 4. *Quae et Plutarchus et Quintilianus e Chrysippi libello hauserint.*

Libellum, qui agat de prima liberorum aetate, consentaneum est scriptori, qui eum consulit, prae ceteris omnibus materiam praebere ei parti libri conscribendae, qua de infantia quoque sermo sit. Apud Plutarchum quoque sic se res habet. Nam capitibus 5 et 6 comparatis cum Quintiliani verbis, reperiemus eum omnia fere, quae περὶ τροφῆς dicat, debere Chrysippo, sive ipse Chrysippi liber ei praesto fuit seu non fuit, qua de quaestione postea melius iudicare poterimus. Prius inter se comparemus eos apud

Quintilianum et Plutarchum locos, quos fere similes praebent, quique igitur e Chrysippi libro oriundi esse videntur.

Affero hos Quintiliani *de nutricibus* locos:

I, 1, 4. „Ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus: quas si fieri posset sapientes Chrysippus optavit, certe quantum res pateretur, optimas eligi voluit. et morum quidem in his haud dubie prior ratio est, recte tamen etiam loquantur."

I, 1, 15, 16. „(Quidam litteris instituendos, qui minores septem annis essent, non putaverunt, quod illa primum aetas et intellectum disciplinarum capere et laborem pati posset.) .... Melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut Chrysippus. Nam is, quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque iam formandam quam optimis institutis mentem infantium iudicat."

I, 10, 32. „et Chrysippus etiam nutricum illi, quae adhibetur infantibus allactationi,[1]) suum quoddam carmen adsignat."

Apud Plutarchum de nutricibus haec legimus:

cap. 5 p. 3c. αἱ τίτθαι δὲ καὶ αἱ τροφοὶ τὴν εὔνοιαν ὑποβολιμαίαν καὶ παρέγγραπτον ἔχουσιν, ἅτε μισθοῦ φιλοῦσαι.

cap. 5 p. 3 d. (εἰ δ᾽ἄρ᾽ ἀδυνάτως ἔχοιεν sc. matres ut ipsae infantes uberibus alant, ἢ διὰ σώματος ἀσθένειαν (γένοιτο γὰρ ἄν τι καὶ τοιοῦτον) ἢ πρὸς ἑτέρων τέκνων σπεύδουσαι γένεσιν,) ἀλλὰ τάς γε τίτθας καὶ τὰς τρόφους οὐ τὰς τυχούσας ἀλλ᾽ ὡς ἔνι μάλιστα σπουδαίας δοκιμαστέον ἐστί, πρῶτον μὲν τοῖς ἤθεσιν ⟨ἔτι δ᾽⟩ Ἑλληνίδας.[2])

---

1) „allactationi" pro „allectationi" legendum cum Dyroffio. cf. p. 271: „Ich behalte hier die handschriftliche Lesart allactationi bei, da bei der Änderung allectationi ein guter Sinn nicht erzielt wird, und eine Verlesung des geläuferigen allectationi in das seltene allactationi nicht wahrscheinlich ist. Marcellus Empiricus (c. 8, 136. S. 83, 8 Helmreich: ex lacte mulieris, quae puerum allactat) gebraucht allactare für „nebenherstillen." Unter der Amme, welche „nebenherstillt" kann nur eine solche verstanden werden, welche neben der Mutter stillt ... Recht klar wird aber jene Stelle bei Quintilianus erst durch Ps-Plutarchos. Dieser spricht 3 cd von *τίτθαι* und *τροφοί, τιτθεύειν* und *τρέφειν*, die römischen Schriftsteller aber nur von nutrices. Die Römer konnten wohl beide Begriffe nicht wiedergeben und gebrauchten nutrix gemeinsam; sollte nun unterschieden werden, so mussten sie zu Umschreibungen greifen, wie dies Varro, Quintilianus und Gellius tun." Cf. etiam p. 271, n. 2, p. 272, n. 1.

2) ⟨*ἔτι δ᾽*⟩ verba recte addita a Dyroffio, comparatis quae leguntur cap. 6 p. 4a: (*παιδία σύντροφα*) *ζητητέον πρώτιστα μὲν σπουδαῖα τοὺς τρόπους, ἔτι μέντοι Ἑλληνικά*; et insuper „da *τοῖς ἤθεσιν* Ἑλληνίδας keinen guten Sinn giebt und dem

His statim addamus, quae de puerorum sodalibus legimus: Quint. I, 1, 7. ,,De pueris inter quos educabitur ille huic spei destinatus, idem quod de nutricibus dictum sit."

Plut. cap. 6. p. 3 f 4 a. Οὐ τοίνυν οὐδὲ τοῦτο παραλιπεῖν ἄξιόν ἐστιν, ὅτι καὶ τὰ παιδία τὰ μέλλοντα τοῖς τροφίμοις ὑπηρετεῖν καὶ τούτοις σύντροφα γίγνεσθαι ζητητέον πρώτιστα μὲν σπουδαῖα τοὺς τρόπους, ἔτι μέντοι Ἑλληνικὰ καὶ περίτρανα λαλεῖν, ἵνα μὴ συναναχρωννύμενοι βαρβάροις καὶ τὸ ἦθος μοχθηροῖς ἀποφέρωνταί τι τῆς ἐκείνων φαυλότητος.

Quibus inter se comparatis nemo non videt similitudinem horum Plutarchi et Quintiliani locorum tantam esse, ut dicere liceat Plutarchum Chrysippeas sententias praebere. Tum etiam animadvertendum est, Quintilianum plura tradere quam Plutarchum, apud quem nihil de triennio illo, quod Chrysippus nutricibus dederit, nihil de carmine, quod adsignaverit nutricibus, invenimus.

Incidit nobis suspicio Quintiliano libellum Chrysippi melius quodammodo notum fuisse quam Plutarcho. Ad hanc rem enucleandam fortasse expedit iamnunc summatim exponere, quomodo equidem existimem Plutarchum e Chrysippo pendere. Postea reliquis quoque capitibus, quibus de posterioribus educationis annis sermo est, tractatis, opinionem meam gravioribus argumentis stabilire potero. Sic fere rem se habuisse puto:

Plutarchus scripturus de liberorum educatione hinc illinc collegit ea, quae antea de eodem argumento philosophi scripserant. Incidit in librum, in quo quid de educatione Stoici atque imprimis Chrysippus, Stoicorum scriptor ille κατ' ἐξόχην, composuissent, invenit. Hic autem liber conscriptus erat ab homine quodam, qui sibi proposuerat e Stoicorum scriptis excerpere ea, quae attinerent ad liberorum educationem. Copiosam huic homini praebebant materiam Chrysippi libellus, qui erat περὶ γάμου ac praesertim libellus, cui erat titulus περὶ παιδοτροφίας. Hic vero cum solus esset liber

---

πρῶτον μέν nichts entspricht; nach ΕΣΙΝ konnte ΕΤΙΔ leicht ausfallen," p. 267, 1. Mendum inesse huic loco Wyttenbach quoque animadvertit: ,,Caeterum expectaverit quis scriptorem alia porro nutricum officia enarraturum, orsum illa formula δοκιμαστέον ἐστὶ πρῶτον μὲν τοῖς ἤθεσιν Ἑλληνίδας: iste alia officia non addit, nullum sequitur εἶτα δέ nec similis forma" (p. 84).

Chrysippi, qui data opera de puerorum educatione ageret, reliqua praecepta ei conquirenda erant e ceteris Chrysippi scriptis, ubicumque aliquid reperiebat, quod sibi ad propositum utile videretur. Hanc porro epitomen, cui fortasse auctor suas sententias inseruit, Plutarchus excerpsit, hic illic sua addidit, ut postea, aliorum quoque scriptorum placitis conquisitis, omnia haec retractaret ac suo ingenio imbueret. Quod utrum re vera fecerit necne, haud diiudicari potest; id vero mihi persuasi et demonstrare conabor, libellum, de quo agimus, fuisse ex epitomis, quas sibi Plutarchus collegerat.

Sed revertamur unde progressi sumus. Unde Quintilianus Chrysippi librum cognoverit, utrum ipsum legerit an ex epitoma quadam, quae tunc temporis complures fuisse videntur,[1]) hauserit, haudquaquam dici potest, pro certo vero habendum est eum melius philosophi opusculum cognovisse quam Plutarchum. Nusquam hic mentionem facit puerorum aetatis,[2]) quod si facere potuisset, certe non omisisset.[3]) De nutricum officiis nisi summatim non loquitur: Chrysippus vero accuratius eis praecepisse videtur de educatione cotidiana: quomodo corpora puerorum exercenda essent, ut supra iam dixi, quod carmen iis canendum esset ad infantes sopiendos.[4]) Quintilianus haec omnia tradit.

De recto nutricum ac sodalium sermone Plutarchus pauca modo dicit,[5]) fusius agit Quintilianus. Nam post ea, quae supra

1) Cf. Ab Arnim o. l. praef. p. X.

2) Haec modo de aetatibus dicit: cap. 7: ἐπειδὰν τοίνυν ἡλικίαν λάβωσιν ὑπὸ παιδαγωγοῖς τέταχθαι, κ. τ. λ., cap. 16: ἐπὶ τὴν τῶν μειρακίων ἡλικίαν ἤδη μεταβήσομαι.

3) Philosophorum esse de aetatibus praecipere apparet e Sorani verbis (περὶ γυναικείων παθῶν cap. XLVIII): „τὸ δὲ πόσων ἐτῶν αὐτὸ γενόμενον παιδαγωγῷ παραδοτέον.... οὐ κατ' ἰατρικάς ἐστιν ὑποθήκας, φιλοσοφωτέραν δὲ τὴν διάταξιν ἔσχηκεν." Cf. Dyroff, p. 288: „Es kann vermutet werden, dass Chrysippos nicht nur für die Ammen Jahre festsetzte, sondern überhaupt für den Erziehungsgang Zahlen gab. Er dürfte sich dabei an die von Dichtern und Medizinern ausgebildete und auch von Aristoteles und Zenon angenommene Hebdomadentheorie gehalten haben." Si sic se res habet, nonne videtur post ea quae de Chrysippi libello diximus, eum de prima ἑπταετίᾳ egisse in libro περὶ παιδοτροφίας?

4) Quint. I, 10, 32.

5) cap. 5 p. 3e: πρῶτον μὲν τοῖς ἤθεσιν (nutrices quam optimas eligere oportet), ⟨ἔτι δ'⟩ Ἑλληνίδας; (παιδία σύντροφα ζητητέον πρώτιστα μὲν σπουδαῖα τοὺς τρόπους), ἔτι μέντοι Ἑλληνικὰ καὶ περίτρανα λαλεῖν.

de nutricibus laudavimus, sic pergit (I, 1, 5): „Has (nutrices) primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. et natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus animis percepimus: ut sapor quo nova imbuas ⟨vasa⟩ durat, nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. et haec ipsa magis pertinaciter haerent quae deteriora sunt. nam bona facile mutantur in peius: quando in bonum verteris vitia? non adsuescat ergo, ne dum infans quidem est, sermoni qui dediscendus sit." Profecto insunt huic loco, quae admoneant sententiam quam apud Plutarchum quoque legimus: quae sine dubio oriuntur e Chrysippo. „Et natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus animis percepimus." Haec conferas cum illis: „εὔπλαστον γὰρ καὶ ὑγρὸν ἡ νεότης, καὶ ταῖς τούτων ψυχαῖς ἁπαλαῖς ἔτι τὰ μαθήματα ἐντήκεται". [1]) Sed gravioribus verbis Quintilianus de recto sermone loqui videtur quam Chrysippus, quod eum facere haud est mirandum, quippe cum praecepta exhibeat ad eum educandum, qui postea orator evasurus sit. „*Ante omnia*" inquit „ne sit vitiosus sermo nutricibus." Tum vero Chrysippum laudat eique concedit: „et morum quidem in his haud dubie prior ratio est", sed instat suae sententiae: „recte tamen etiam loquantur."[2]) Tum pergit suis ipsius verbis usus; nam de similitudinibus, quas in medium profert, apud Plutarchum ne vestigium quidem reperimus; contra de similitudine Plutarchi: „καθάπερ γὰρ σφραγῖδες τοῖς ἁπαλοῖς ἐναπομάττονται κηροῖς, οὕτως αἱ μαθήσεις ταῖς τῶν ἔτι παιδίων ψυχαῖς ἐναποτυποῦνται, quam similitudinem Dyroff satis clare Chrysippeam esse ostendit,[3])

---

1) Cf. Damasc. Sacr. Parall. ap. Stob. 16, 81.

2) Dyroff p. 275 n. 3.

3) p. 263: „Aber auch im folgenden entpuppt sich der Satz *καθάπερ γάρ* etc. als Stoisches Gut. Diogenes Laërtios (VII, 50) sagt, nachdem er eine Ansicht des Chrysippos angeführt hat: „*νοεῖται δὲ ἡ φαντασία ἡ ἀπὸ ὑπάρχοντος κατὰ τὸ ὑπάρχον ἐναπομεμαγμένη καὶ ἐναποτετυπωμένη καὶ ἐναπεσφραγισμένη*. Freilich wird mit Rücksicht darauf, dass Chrysippos das Zenonische Bild *τύπωσις* im Widerspruch gegen Kleanthes nicht im Sinne von einem Eindrucke (*τύπος*) des Siegelringes (*σφραγιστήρ*) verstanden wissen wollte (D. L. VII, 50), versucht, die Stelle dem Chrysippos zu entziehen (A. Bonhöffer, Epiktet I S. 151 Anm.). Das geht aber meines Erachtens zu weit. Denn Chrysippos wendet sich nur gegen eine zu sinnliche *Auslegung* des Worts *τύπωσις*; den Gebrauch des Ausdrucks konnte er um so weniger verbieten wollen, als er denselben augen-

apud Quintilianum omnino nihil legitur. Accedit quod ea, quae subsequuntur locum, ipsius Quintiliani sunt,[1]) ac tum demum verbis, quae sunt ,,de pueris, inter quos educabitur'' cett. auctor revertitur ad Chrysippum. Omnino eundem ordinem apud Plutarchum invenimus, nisi quod is commemorat illud Platonis, ne quaevis fabellae pueris narrentur.

Ea quoque, quae Plutarchus dicit de pueris inter quos educetur alumnus, a Chrysippo oriri apparet e Quintiliani loco parallelo.

Tum uterque auctor verba facit de paedagogo. Hic autem locus, quomodo uterque e Chrysippi libello pendeat, clare ostendit.

Quintilianus haec dicit: I, 1, 8. ,,de paedagogis hoc amplius, ut aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim, aut se non esse eruditos sciant. nihil est peius iis, qui paulum aliquid ultra primas litteras progressi falsam sibi scientiae persuasionem induerunt . . . 9. nec minus error eorum nocet moribus. — 11. si tamen non continget quales maxime velim nutrices, pueros, paedagogos habere, at unus certe sit adsiduus loquendi non imperitus, qui, siqua erunt ab his praesente alumno dicta vitiose, corrigat protinus nec insidere illi sinat, dum tamen intellegatur id, quod prius dixi, bonum esse, hoc remedium.''

Plutarchus cap. 7 p. 4 a. ἐπειδὰν τοίνυν ἡλικίαν λάβωσιν ὑπὸ παιδαγωγοῖς τετάχθαι, ἐνταῦθα δὴ πολλὴν ἐπιμέλειαν ἐκτέον ἐστὶ τῆς τούτων καταστάσεως, ὡς μὴ λάθωσιν ἀνδραπόδοις ἢ βαρβάροις ἢ παλιμβόλοις τὰ τέκνα παράδοντες κ. τ. λ.

Id igitur convenit alteri cum altero summam curam esse adhibendam in eligendo paedagogo. Ne miremur, quod Quintilianus magis illud attendit eos quam optima eruditione ac scientia esse debere, Plutarchus de moribus modo loquitur: quippe ille scribit ,,Institutionem oratoriam'', hic praecepta dat τίνι (ἀγωγῇ sc.) χρώμενοι σπουδαῖοι τοὺς τρόπους ἂν ἀποβαῖεν pueri.

Diversis vero aetatibus uterque puero paedagogum attribuit. Sane Wyttenbach: ,,Quintilianus'' inquit ,,etiam sub nutrice

---

scheinlich selbst gebraucht hat.'' e. q. s.; cf. p. 264 n. 1: ,,Dekomposita mit ἐναπο- sind der Stoa geläufig.'' (sequuntur complura exempla).

1) Quod Dyroff indicat apparere ex exemplis, quibus Quintilianus opinionem suam illustrat, e Romanorum historia sumptis. Ad argumentum cf. Cic. Brut. 58, 210 sqq.

degenti puero paedagogum adiungi vult," sed haec Wyttenbachii opinio nititur prava lectione loci quem supra laudavimus (Quint. I, 1, 11)[1]. Immo Chrysippus nutricibus solis triennium dedit (Quint. I, 1, 16); post hoc triennium puer paedagogo datur. Id non solum apparet inde, quod uno quasi spiritu nominantur nutrices, pueri (παιδία σύντροφα), paedagogi, sed etiam quod hoc ipso capite de paedagogis sermo est.

Etenim primum hoc caput, quod inscribitur ,,quemadmodum prima elementa tradenda sint", agit de puero quoad in gremio sedet nequedum serio discit.[2]) Secundum enim caput sic incipit: ,,Sed nobis iam paulatim adcrescere puer et exire de gremio et discere serio incipiat." Consentaneum nonne videtur, cum hoc solo capite loquatur de paedagogo, Quintilianum hac ipsa aetate puerum paedagogo committi velle? Deinde veri simillimum est, Chrysippum quoque id praecepisse. Nam Quintilianum eius libello usum esse, cum scriberet de paedagogo, comparatis Plutarchi verbis[3]) quae de paedagogo sunt apparet. Chrysippus vero cur de paedagogis egisset in libro περὶ παιδοτροφίας, nisi persuasum sibi habuisset ad primam illam aetatem, de qua diceret, paedagogum iam adhibendum esse? Ad paedagogum spectare videtur vocabulum illud ,,quoque", quod apud Quint. I, 1, 66 legimus, minime vero ad parentes, ut Dyroff suspicatur.[4])

Pueri anno fere septimo aetatis paedagogo tradi solebant.[5])

---

1) Wyttenb. p. 86. Nam verba modo laudata sic legit: ,,Si tamen non continget quales maxime velim nutrices, *pueros habere; paedagogus at unus* e. q. s.

2) Cf. I, 1, 24. ,,Fingamus igitur Alexandrum dari nobis, *impositum gremio*, dignum tanta cura *infantem* (quamquam suus cuique dignus est): pudeatne me in ipsis statim elementis etiam brevia docendi monstrare compendia?"

3) Cf. Dyroff, p. 268.

4) p. 246. ,,Weiter hat sich Chrysippos über das Kindermädchen geäussert: und das ,,quoque" welches Quintilianus hiebei gebraucht, erlaubt den Schluss, dass Chrysippos ähnlich wie Platon die an die Kindermädchen erhobene Forderung vorher schon an die Eltern gestellt hatte." Ut ad parentes attineat verbum q. e. ,,quoque" fieri non potest, quoniam vocabulo q. e. ,,iam "apparet iis,quibus hoc loco nutrices adiunguntur, officio suo fungendum esse post nutrices; qui quidem paedagogi sunt,non parentes, quos statim ab ortu curam adhibere puero necesse est.

5) Cf. Wyttenb. p. 86 ubi locos affert. Becker—Göll, Charikles II, 46 sqq., p. 51; Plato Legg. VII, 808.

,,Quidam litteris instituendos," Quintilianus inquit,[1] ,,qui minores septem annis essent non putaverunt, quod illa primum aetas et intellectum disciplinarum capere et laborem pati posset. in qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt, qui ante grammaticum Aristophanem fuerunt . . . sed alii quoque auctores, inter quos Eratosthenes idem praeceperunt." Itaque Chrysippus decedit a via trita, cum iam puero minus septem annis nato paedagogum attribuit; Quintilianus ei assentitur: ,,Melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut Chrysippus", qui non modo, ut totus locus patefacit, hanc primam aetatem paedagogo iam tradat, sed etiam nutricibus, quibus triennium primum det, formandam esse mentem iudicet.

Quid vero Plutarchus? Postquam capitibus 5 et 6 infantiam pueri tractavit, hunc locum atque hanc aetatem concludit et ad aliam aetatem transit his verbis: ,,ἐπειδὰν τοίνυν ἡλικίαν λάβωσιν ὑπὸ παιδαγωγοῖς τετάχθαι" κ. τ. λ. Paedagogo puerum tradit, cum is ea est aetate, ad quam magistri quoque eligendi sunt, ut plerumque fiebat.[2] Nam uno velut tenore paulo post pergit: ,,τὸ δὲ πάντων μέγιστον καὶ κυριώτατον τῶν εἰρημένων ἔρχομαι φράσων. διδασκάλους γὰρ ζητητέον τοῖς τέκνοις κ. τ. λ. Sequitur igitur Plutarchus usitatum ordinem: ,,Discendi initium puer faciebat apud διδάσκαλον, *idque comite paedagogo*, anno fere septimo."[3] Itaque consentaneum est aut Plutarchum in notationibus suis componendis eam Chrysippi sententiam secutum non esse, cum Chrysippo hac de re non assentiretur, aut scriptiunculam, unde sua hausit, iam discrepasse a Chrysippo. Sed quocunque modo res sese habet, id saltem perspicuum est Quintilianum diligentius sequi Chrysippi sententias, atque ei plus tribuendum videri ad Chrysippi libellum cognoscendum quam Plutarcho.

Posthac tractare expedit tres locos, quibus tale quid evenit, quale eo loco, qui de paedagogo agit.

De *memoria* Quintilianus haec dicit:

I, 1, 36. ,,Nam et maxime necessaria est oratori, sicut suo loco

1) I, 1, 15. Cf. ARIST. Polit. VII, c. 15, 4 (p. 1336 a 23).
2) BECKER—GÖLL l. l. GRASBERGER I, 284 sqq.
3) WYTTENB. p. 90, cf. GRASBERGER II, p. 151 sqq.

dicam, memoria et ea praecipue firmatur atque alitur exercitatione et in his, de quibus nunc loquimur aetatibus, quae nihildum ipsae generare ex se queunt, prope sola est, quae iuvari cura docentium potest''.

I, 1, 19. ,,Non ergo perdamus primum statim tempus, atque eo minus, quod initia litterarum sola memoria constant, quae non modo iam est in parvis, sed tum etiam tenacissima est''.

Apud Plutarchum haec legimus:

cap. 13 p. 9 e. πάντων δὲ μάλιστα τὴν μνήμην τῶν παίδων ἀσκεῖν καὶ συνεθίζειν· αὕτη γὰρ ὥσπερ τῆς παιδείας ἐστὶ ταμιεῖον, καὶ διὰ τοῦτο μητέρα τῶν Μουσῶν ἐμυθολόγησαν εἶναι τὴν Μνημοσύνην, αἰνιττόμενοι καὶ παραδηλοῦντες ὅτι οὕτως οὐδὲν γεννᾶν καὶ τρέφειν ὡς ἡ μνήμη πέφυκε. καὶ τοίνυν ταύτην κατ' ἀμφότερ' ἐστὶν ἀσκητέον, εἴτ' ἐκ φύσεως μνήμονες εἶεν οἱ παῖδες, εἴτε καὶ τοὐναντίον ἐπιλήσμονες. κ. τ. λ.

Priores partes horum locorum Gudeman inter se comparat et ex iis colligit sententias esse propinquas; eum vero inconsultius agere Dyroff recte dicit: ,,Es ist daher womöglich jedesmal zu zeigen, ob sich eine Ansicht mit der Stoischen Theorie verträgt oder nicht.'' Hunc locum revera Stoicam doctrinam redolere tum satis clare ostendit:[1]) ,,Der Satz αὕτη (sc. ἡ μνήμη) γὰρ ὥσπερ τῆς παιδείας ἐστὶ ταμιεῖον übersetzt nur einen erkenntnistheoretischen Satz Zenons, den sich später auch Locke aneignete ins Pädagogische: das Gedächtnis ist das Schatzhaus der Vorstellungen (fr. 14 Pears.). Wie Ps-Plutarchos den Namen der Μνημοσύνη als der Mutter der Musen etymologisierend verwertet, ebenso operierte Chrysippos mit den Namen der Chariten, insbesondere der Eurynome (von εὐρύ und νέμειν), der Mutter der Chariten. Die Annahme der Vergessliche könne den Mangel der Natur ausfüllen, beruht auf der oben besprochenen Chrysippeischen Ansicht. Auf die Stoische Definition der μνήμη, die Plut. soll. an. 961 c erhalten ist, mit ihrer Unterscheidung von Gegenwart und Vergangenheit und auf die Stoische Tugend εὐβουλία nimmt der letzte Satz Bezug: ἡ γὰρ τῶν γεγενημένων πράξεων μνήμη τῆς περὶ τῶν μελλόντων εὐβουλίας γίγνεται παράδειγμα (9 f)''.

1) p. 270.

Quodsi uterque auctor Chrysippi verbis eo adductus est, ut de memoria loqueretur, Quintilianus profecto contextum, quem ille exhibuerat, servavit, quippe cum agat de memoria infantis, qui sub nutricibus degat, vel inter lusum, moderante paedagogo, discere incipiat, id quod Chrysippum quoque fecisse in libello suo exspectandum erat, cum quidem scriberet περὶ παιδοτροφίας, de liberorum *primae aetatis* educatione. At Plutarchus memoriam exercendam esse tum primum admonet, cum puer initium discendi iam fecerit „apud διδάσκαλον, idque comite paedagogo, anno fere septimo," ut Wyttenbachii verbis utar. Hac de re eodem modo iudicandum esse videtur ac de loco supra tractato: utrum Plutarchus ipse hunc ordinem mutarit an libellus, qui ei fonti erat, iam illum ordinem praeberet, haud dici potest; Quintilianus autem sine dubio Chrysippi opinioni assentitur, Plutarchus non item, id quod mirandum non est, cum locus, quo sermo esse debet de memoria, accommodandus sit ad aetatem, qua institutionem pueri initium capere uterque auctor vult.

Afferamus tertium exemplum.

De *castigatione* Quintilianus haec modo dicit:

I, 3, 14. „Caedi vero discentis, quamlibet et receptum sit et Chrysippus non improbet, minime velim, primum quia deforme atque servile est et certe (quod convenit, si aetatem mutes) iniuria: deinde quod, si cui tam est mens inliberalis, ut obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas ut pessima quaeque mancipia durabitur" e. q. s.

Plutarchus haec dicit:

cap. 12 p. 8 f. Κἀκεῖνό φημι, δεῖν τοὺς παῖδας ἐπὶ τὰ καλὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἄγειν παραινέσεσι καὶ λόγοις,[1]) μὴ μὰ Δία πληγαῖς μηδ' αἰκισμοῖς. δοκεῖ γάρ που ταῦτα τοῖς δούλοις μᾶλλον ἢ τοῖς ἐλευθέροις πρέπειν κ. τ. λ.

Quintilianum, quae de castigatione Chrysippus scripserit cognovisse ex ipsius verbis apparet. Non autem omnino cum eo facit: ille caedi pueros non improbat, hic plane improbat. Hac in re Plutarchus a Quintiliani partibus stat: utrique videtur castigatio servile

1) Pro voce q. e. *λόγοις* HARTMAN legit *ψόγοις*. Mnemos. 1909, 161, 1912, 248.

quid esse neque convenire liberali puero. De argumentis, quibus nisus uterque vapulationem reprehendit, Dyroff „Die Übereinstimmung" inquit [1] „in der Motivierung zwischen Ps.-Plut. und Quintil., der ebenfalls die Prügelstrafe absetzt, liesse sich durch unabhängige Rücksicht beider auf die Zeitrichtung erklären. Wahrscheinlicher ist jedoch, dass die Schrift des Chr. beiden durch eine dazwischen liegende humanere Bearbeitung bekannt war." Quod ad Plutarchum huic opinioni assentior. Minime vero quod ad Quintilianum cum Dyroffio facere possum. E verbis q. s. „quamlibet . . . Chrysippus non improbet" apparere puto Quintilianum universe Chrysippo assentiri; de castigatione vero prorsus aliam sententiam habet atque ille, ideoque compluribus argumentis allatis, vehementer ei repugnat, quod certe non fecisset, si sua hausisset e libro, quem Dyroff indicat „eine humanere Bearbeitung."

At praeterea aliunde apparet Quintilianum Chrysippum melius cognovisse. Chrysippi libellum fuisse περὶ παιδοτροφίας iterum commemoro; agens igitur de castigatione, de parvulorum puerorum [2] castigatione egit. Quintilianus quoque de hac aetate verba facit hoc capite, cui titulus: „Qua ratione in *parvis* ingenia dinoscantur et quae tractanda sint," quo capite praecepta nonnulla dat utilia iis, qui fungantur munere docendi non solum pueros aetate adulta sed etiam parvulos. Videas enim I, 3, 15: „denique cum *parvulum* verberibus coegeris" e. q. s. Si quis opponat hac aetate vix dici posse discere pueros (I, 3: „caedi vero *discentis*" e. q. s.), conferat I, 1, 17: „videntur non tam *discentibus* in hac parte quam docentibus pepercisse," ubi sermo est de pueris, qui minores septem annis sunt, quin etiam sub nutricibus degunt. Plutarchus vero ut de memoria, ita de castigatione agit in ea parte libelli, qua de pueris maioribus natu dicit.

Denique ostendemus eodem modo rem se habere quod ad locos, ubi sermo est de labore ac remissione alternandis.

Eodem capite, de quo modo verba fecimus, Quintilianus haec dicit:

---

1) p. 289, n. 3.

2) Parvos pueros iam vapulasse apparet e PLAT. Protag. 325 c.; cf. GRASBERGER I, 233, II 92, 101.

I, 3, 8. „Danda est tamen omnibus aliqua remissio, non solum quia nulla res est, quae perferre possit continuum laborem, atque ea quoque, quae sensu et anima carent, ut servare vim suam possint, velut quiete alterna retenduntur, sed quod studium discendi voluntate, quae cogi non potest, constat."

Plutarchus cap. 13 p. 9 c. δοτέον οὖν τοῖς παισὶν ἀναπνοὴν τῶν συνεχῶν πόνων, ἐνθυμουμένους ὅτι πᾶς ὁ βίος ἡμῶν εἰς ἄνεσιν καὶ σπουδὴν διῄρηται .... συνελόντι δ'εἰπεῖν ἡ ἀνάπαυσις τῶν πόνων ἐστὶν ἄρτυμα. καὶ οὐκ ἐπὶ τῶν ζῴων μόνων τοῦτ' ἂν ἴδοι τις γιγνόμενον, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν ἀψύχων· καὶ γὰρ τὰ τόξα καὶ τὰς λύρας ἀνίεμεν, ἵν' ἐπιτεῖναι δυνηθῶμεν.

Sine dubio hi loci inter se cohaerent, profluxerunt igitur e Chrysippi libro. Stoicum esse praeceptum praeterea eo quoque apparet, quod SENECA idem fere dicit.[1]) Ne miremur, Chrysippum id praecepisse ad educandos pueros primae aetatis. Quippe a nutricibus quoque „iam formandam quam optimis institutis mentem infantium" iudicat. „Quid melius" Quintilianus inquit (I, 1, 18 sq.) „alioqui facient (quam discere) ex quo loqui poterunt (faciant enim aliquid necesse est)? aut cur hoc quantulumcunque est usque ad septem annos lucrum fastidiamus? .... non ergo perdamus primum statim tempus, atque eo minus, quod initia litterarum sola memoria constant, quae non modo iam est in parvis, sed tum etiam tenacissima est." Etiam iis, quae sequuntur locum, de quo agimus (I, 3, 11 sq.), apparet, Quintilianum quae dicat de remissione pertinere velle ad parvulos quoque liberos: „modus tamen sit remissionibus, ne aut odium studiorum faciant negatae aut otii consuetudinem nimiae. sunt etiam nonnulli acuendis puerorum ingeniis non inutiles lusus, cum positis invicem cuiusque generis quaestiunculis aemulantur. mores quoque se inter ludendum simplicius detegunt, *modo nulla videatur aetas tam infirma,* quae non protinus quid rectum pravumque sit *discat, tum vel maxime*

1) De tranq. an. 17, 5: „Danda est animis remissio: meliores acrioresque requieti surgent. Ut fertilibus agris non est imperandum, cito enim illos exhauriet nunquam intermissa fecunditas, ita animorum impetus adsiduus labor franget, vires recipient paulum resoluti et remissi; nascitur ex assiduitate laborum animorum hebetatio quaedam et languor." Cf. epist. 15, 6: „dandum est aliquod intervallum animo, ita tamen ut non resolvatur, sed remittatur."

formanda, cum simulandi nescia est et *praecipientibus* facillime cedit" e. q. s. Plutarchum vero etiam in hac re non agere de parvis liberis, verum de pueris certe maioribus septem annis apparet inde quod de remissione loquitur eo loco, quo de his pueris sermo est.

Quibus omnibus perpensis facere non possumus cum Dyroffio dicente:[1]) „Gewisse Verschiedenheiten in der Anordnung lassen sich durch die Verschiedenheit der Zwecke — Quintilianus spricht mehr als Rhetor denn als Pädagog — und durch die bei römischen Schriftstellern beliebte eklektische Manier erklären." Facile est intellectu, sic scribere eum, cui persuasum sit Chrysippum scripsisse περὶ παίδων ἀγωγῆς; nos vero, qui ostendere conati simus, librum Chrysippi fuisse περὶ παιδοτροφίας, eo ipso indicavimus causam immutationum aliunde esse quaerendam, e Chrysippi scilicet libello, cui Quintilianus magis se adiunxerit, a quo Plutarchus his quidem de rebus agens, longius discesserit.

Praeter ea, de quibus modo disputavimus, Gudemannus inter se comparat hos locos:

Quint. I, 1, 3. „praestat tamen ingenio alius alium. Concedo, sed plus efficiet aut minus: nemo reperitur, qui sit studio nihil consecutus".

Plut. cap. 4 p. 2 c. εἰ δέ τις οἴεται τοὺς οὐκ εὖ πεφυκότας μαθήσεως καὶ μελέτης τυχόντας ὀρθῆς πρὸς ἀρετὴν οὐκ ἂν τὴν τῆς φύσεως ἐλάττωσιν εἰς τοὐνδεχόμενον ἀναδραμεῖν, ἴστω πολλοῦ, μᾶλλον δὲ τοῦ παντὸς διαμαρτάνων.

Quibus haec certe adiungenda mihi videntur:

Quint. I, 1, 2. „quae (spes) cum emoritur aetate, manifestum est non naturam defecisse sed curam".

Plut. cap. 4, p. 2 c. φύσεως μὲν γὰρ ἀρετὴν διαφθείρει ῥᾳθυμία, φαυλότητα δ' ἐπανορθοῖ διδαχή.

Haec autem a Gudemanno non iure comparata esse puto:

Quint. I, 1, 6. „In parentibus vero quam plurimum esse eruditionis optaverim".

---

1) p. 247.

Plut. cap. 7, p. 4 c. νῦν δέ τις κἂν καταπτύσειε τῶν πατέρων ἐνίων, οἵτινες πρὶν δοκιμάσαι τοὺς μέλλοντας διδάσκειν, δι' ἄγνοιαν, ἔσθ' ὅτε καὶ δι' ἀπειρίαν, ἀνθρώποις ἀδοκίμοις καὶ παρασήμοις ἐγχειρίζουσι τοὺς παῖδας.

Quam necessitudinem hi loci habeant inter se, non video. Sane uterque agit de patribus (quamquam Quintilianus de matribus quoque loquitur); hic vero de parentibus verba facit, quoad et ipsi liberos erudiunt, id quod ex exemplis additis satis apparet; Plutarchus agit de iis modo patribus, qui ad liberos instituendos pravos magistros eligant.

Denique neque hi loco inter se cohaerere mihi videntur:

Quint. II, 3, 12. ,,Sit ergo (praeceptor) tam eloquentia quam moribus praestantissimus, qui ad Phoenicis Homerici exemplum dicere ac facere doceat".

Plut. cap. 7 p. 4 b. δεῖ δὲ τὸν σπουδαῖον παιδαγωγὸν τοιοῦτον εἶναι τὴν φύσιν, οἷόσπερ ἦν ὁ Φοίνιξ ὁ τοῦ Ἀχιλλέως παιδαγωγός.

Dyroff putat apud utrumque haec profluxisse e fonte Chrysippeo: ,,Gemeint ist natürlich, das sagt der Zusammenhang, der Pädagog solle sittlich gut sein. In wiefern dies auf Phoinix zutrifft, gibt Quintilianus an, welcher nur wieder leise gegen die vorzugsweise Betonung des Moralischen durch Chrysippos polemisiert und deshalb vom Lehrer statt vom Pädagogen spricht. Der Rhetor hätte sich hier auf Cicero (de Orat. III, 15, 57) stützen können."[1])

Utrum tamen Chrysippus Phoenicis mentionem fecerit, necne, e Quintiliani verbis cum Plutarchi loco comparatis non apparet. Nam cum legeris locum, a Dyroffio commemoratum ex Ciceronis libro de Oratore, quem librum Quintilianus sescenties laudat, statim perspicies haec Ciceronis verba Quintiliano ante oculos versata esse. Cicero: ,,Nam vetus quidem" inquit ,,illa doctrina eadem videtur et *recte faciendi et bene dicendi* magistra; neque diiuncti doctores, sed eidem erant vivendi praeceptores atque dicendi, ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum effi-

---

1) p. 291.

ceret ,,oratorem verborum actoremque rerum.''[1]) Ut Cicero ita Quintilianus loquitur de *praeceptoribus*, ut apud illum ita apud hunc (quem cardinem rerum esse nemo non concedet) tertium, ut dicitur, comparationis est Phoenicis facultas, qua iuvenem sibi commissum efficeret ,,oratorem verborum actoremque rerum.''[2])

Prorsus vero aliter res se habet apud Plutarchum. Is non loquitur de praeceptore, verum de paedagogo; apud eum tertium comparationis est, Phoenicem σπουδαῖον εἶναι τὴν φύσιν.

Verius igitur esse videtur Quintilianum hoc exemplum debere Ciceroni quam Chrysippo, quod si ita est, non iam licet ex eo, quod et Plutarchus et Quintilianus Phoenicis exemplum afferunt, colligere utrumque id invenisse apud Chrysippum.

Locos parallelos, quos apud utrumque auctorem legimus, iam tractavimus apparuitque omnes eos eiusmodi esse, ut desumpti esse possint e libro περὶ παιδοτροφίας. Quo de titulo cum testimonium habeamus ipsius Plutarchi, cui testimonio nihil obsistere videatur, neque titulus, quem Quintilianus affert, neque ea, quae sumpta esse apparet e libro, immo vero haec ipsa, utpote quae agant de rebus, de quibus sine dubio agendum sit in libro, cui talis titulus inscriptus sit, affirment ac stabiliant nostram de titulo opinionem, haudquaquam necesse esse putamus, alium titulum e Quintiliani verbis colligere, qui non solum abhorreat ab ipso argumento, de quo librum fuisse e locis laudatis consentaneum est, verum etiam a testimonio Plutarchi.

Restat, ut videamus quae Plutarchus praeterea servaverit e libro Chrysippi a Quintiliano omissa, quippe quae non pertinerent ad argumentum suum.

§ 5. *Quae praeterea apud Plutarchum e Chrysippi libello sumpta sint.*

Praeter ea, de quibus supra diximus, Plutarchus nonnulla tradit, quae procul dubio oriuntur e Chrysippi libello περὶ παιδοτροφίας,

1) Vide Hom. Il. IX, 438 sqq. Cf. Quint. II, 17, 8 (ubi paulum supra mentionem fecit Ciceronis libri de Oratore): ,,nos porro quando coeperit huius rei doctrina, non laboramus, quamquam apud Homerum et *praeceptorem Phoenicem cum agendi tum etiam loquendi* et oratores plures'' e. q. s.

2) Cf. Quint. XII,1, 1.,,Sit ergo nobis orator, quem constituimus, is, qui a M. Catone finitur, *vir bonus dicendi peritus*''.

apud Quintilianum autem non leguntur. „Er scheint" Schickius inquit,[1]) dem Ammenkapitel nur einige allgemeine oder mehr äusserliche Stellen entnommen zu haben, es hat ihm naturgemäsz für seinen Zweck am wenigsten gegeben."

Quamquam igitur in his rebus investigandis noniam concentu inter utrumque auctorem ducimur, tamen ne a recta via aberremus, timendum non est. Nam vix dubitari potest, quin ea, quae eodem capite legantur atque aliae Chrysippi sententiae, praesertim cum eodem de argumento agant atque ea, quae e Chrysippi libello profluxisse constat, ex eodem fonte hausta sint. Accedit, quod haec agunt de ipso libelli Chrysippei argumento, περὶ παιδοτροφίας sc. et quod aliis quoque argumentis ostendi potest ea Stoicam habere originem.

Auctor postquam se de nutritione mox locuturum esse indicavit his verbis (cap. 5): „Περὶ δὲ τροφῆς ἐχόμενον ἂν εἴη λέγειν," sic pergit: „δεῖ δέ, ὡς ἐγὼ ἂν φαίην, αὐτὰς τὰς μητέρας τὰ τέκνα τρέφειν καὶ τούτοις τοὺς μαστοὺς ὑπέχειν· συμπαθέστερόν τε γὰρ θρέψουσι καὶ διὰ πλείονος ἐπιμελείας, ὡς ἂν ἔνδοθεν καὶ τὸ δὴ λεγόμενον ἐξ ὀνύχων ἀγαπῶσαι τὰ τέκνα." A compluribus scriptoribus idem praeceptum datur.[2]) Neque nostri propositi neque nostrarum virium est penitus agere de horum scriptorum locis parallelis. A viro doctissimo Schick de loco, qui in nutritione infantium versatur, quaestio habita est in disputatione, quam saepius laudavi; hic refero, quem ad exitum is inquirendo pervenerit:[3]) „Neben rein medizinischen Ansichten, von denen wir absehen können, bringt Soranos Vorschriften und Argumenten, die teils vollständig mit denen des stoischen Gemeinplatzes

---

1) o. l. p. 3, n. 5.

2) Soranus π. γυν. παθ. 87: *ἄμεινον γὰρ ... τῷ μητρῴῳ γάλακτι τρέφειν τὸ νήπιον, τοῦτο γὰρ οἰκειότερον αὐτῷ, καὶ πρὸς τὰ γεννηθέντα συμπαθέστεραι μᾶλλον αἱ μητέρες γίγνονται.* Cf. ibid. 88. Musonius ap. Stob. II, 246, 8: *γυναῖκα οἵαν ἃ μὲν ἂν τέκῃ τρέφειν μαστῷ τῷ ἑαυτῆς* (cf. Dyroff p. 271). Favor. ap. Gell. XII, 1, per totam dissertationem „qua suasit nobili feminae, ut liberos, quos peperisset, non nutricum adhibitarum, sed suo sibi lacte aleret," ut legitur titulus apud Gellium capiti inscriptus. Cf. Blümner, Die Röm. Privatalt, 1911, p. 307, n. 4. Wellmann apud Kroll, Die Altertumswissenschaft im letzten Vierteljahrhundert 1905, p. 150.

3) p. 16.

übereinstimmen, teils sich mit ihnen zwar nahe berühren, dabei aber anders, nämlich physiologisch und diaetetisch begründet sind ... Wir müssen also auf zwei verschiedene Versionen des Ammenkapitels schlieszen, die von beiden Autoren, Favorin und Soran gekannt und verquickt wurden, *die stoische auf Chrysipp zurückgehende:* dafür sprechen die Übereinstimmungen mit den übrigen Parallelen bis in den Ausdruck, und zweitens eine nicht-stoische, aber dieser nahe verwandte, die sich abweichend physiologischer Argumente bedient."

Verba, quae sunt συμπαθέστερόν τε γὰρ θρέψουσι, Stoicam de συμπαθείᾳ [1]) redolere doctrinam Dyroff indicavit. Praeterea „die Methode" inquit „einen paedagogischen Vorschlag noch durch die Hervorhebung der guten ethischen Folgen zu empfehlen, wie dies hier 3 c und 3 d (χωρὶς δὲ τούτων εὐνούστεραι τοῖς τέκνοις γίγνοιντ' ἂν καὶ φιλητικώτεραι) geschieht, (erinnert) an die Weise, wie Zenon und Chrysippos D. L. VII, 131 die Frauengemeinschaft anpreisen."[2])

Etiam in iis, quae sequuntur, Stoica inesse videntur. Naturam ipsam docere Plutarchus dicit, infantem matri, quae eum pepererit, nutriendum esse, quippe quae mammis eam donaverit;[3]) sapientem esse providentiam, quae duabus mammis feminam instruxerit, ut etiamsi geminos pariat, geminos fontes nutritionis habeat. „Die Lehre von der προνοία" Dyroff inquit,[4]) „ist mit echt Stoischer Logik und Stoischer Ausdrucksweise verwertet: 3c σοφὸν δ'ἄρα καὶ ἡ προνοία. διττοὺς ἐνέθηκε ταῖς γυναιξὶ τοὺς μαστούς, ἵνα κἂν εἰ δίδυμα τέκοιεν, διττὰς ἔχοιεν τὰς τῆς τροφῆς πηγάς. Man glaubt, den Stoiker des zweiten Buches der Ciceronischen Schrift de natura deorum zu horen."[5]) Inprimis

---

1) Cf. Diels, Doxographi Graeci, p. 423, 22.

2) p. 271.

3) Cf. Fav. ap. Gell. XII, 1, 6 „Quod est enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperisse, ac statim ab sese abiecisse? aluisse in utero sanguine suo nescio quid, quod non videret: non alere nunc suo lacte, quod videat iam viventem, iam hominem, iam matris officia implorantem? An tu quoque, inquit, putas naturam feminis mammarum ubera quasi quosdam naevulos venustiores, non liberum alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse?" Cf. Schick, p. 5, sqq. p. 8.

4) p. 258.

5) Cf. Cic. de nat. deor. II, 51, 128.

Chrysippum fuisse, qui providentiam laudaverit, apparet e verbis Plutarchi (de Stoic. repugn. cap. 21 p. 1044 e), ubi Chrysippus audit „ὁ τὴν πρόνοιαν ἐγκωμιάζων."[1])

Denique Stoicorum etiam fuisse videtur exempla promere e vita animalium, id quod Plutarchus quoque facit:[2]) „ἡ συντροφία γὰρ ὥσπερ ἐπιτόνιόν ἐστι τῆς εὐνοίας. καὶ γὰρ τὰ θηρία τῶν συντρεφομένων ἀποσπώμενα ταῦτα ποθοῦντα φαίνεται (p. 3d)."

§ 6. *De Chrysippi* περὶ παιδοτροφίας *libello quae addenda esse videantur.*

Postquam ostendere conati sumus, Chrysippum, quod nos quidem sciamus, non scripsisse περὶ παίδων ἀγωγῆς librum, atque ea, quae putarentur hoc ex opere desumpta esse, partim originem habere ex alio libello, cui titulus περὶ παιδοτροφίας, partim, quod sane postea nobis demonstrandum erit, aliunde profluxisse, nunc pauca, quae ad eum libellum attinent, addenda sunt.

Primo videamus, qua de parte puerorum aetatis eo libello Chrysippum locutum esse veri simile sit. Non solum eum egisse de nutritione infantium supra satis iam demonstravimus. Quam ad puerorum aetatem praecepta dedit? Manifestum est, eum praecepisse eousque puerorum aetatis, ubi pars quaedam educationis finita atque absoluta esse videretur, undeque progressa via ac ratio institutionis alio se conferret.

Saepius autem apud antiquos scriptores legimus de hominum aetate in partes dividenda. Iam SOLONEM hominis aetatem in decem hebdomadas divisisse notum est.[3]) HIPPOCRATES has aetatis partes, quas ἡλικίας vocat, septenorum annorum secernit: παιδίον, παῖς, μειράκιον, νεανίσκος, ἀνήρ, πρεσβύτης, γέρων.[4]) TELES (περὶ τοῦ

---

1) AB ARNIM II, frgm. 1160. Supra iam egimus de loco PLUTARCHI (de Stoic. repugn. cap. 9, p. 1035b), ubi dicit CHRYSIPPUM, libros, quos quocunque de argumento scriberet, semper praescribere de Iove, fato, *providentia* e. q. s. FAVORINUS quoque (l.l. 13) commemorat „sollertiam naturae"; cf. SCHICK, p. 5; CHRYSIPPUM librum *περὶ προνοίας* scripsisse constat. Cf. DIELS Dox. Gr. p. 548, 25; AB ARNIM III. p. 203.

2) Cf. DYROFF, p. 258; p. 373; PLUT. Stoic. repugn. 1049a, 1044 d.

3) Cf. BERGK, P. L. G. frgm. 27 (II, p. 431); JACOBY, Apollodors Chronik, 1902, p. 42 sq. ROSCHER, Die Hebdomadenlehre der Griech. Philosophen und Ärzte, 1906.

4) Cf. POLL. Onom. II, 4. Cf. CENSOR., de die nat. 14; Ps.-HIPPOCR. *περὶ ἑβδομάδων.*

μὴ εἶναι τέλος ἡδονήν) apud STOBAEUM [1]) haec dicit: „Ἀλλ' εἰ θέλει τις ἐκλογίσασθαι ἐν ὅλῳ τῷ βίῳ πάσας τὰς ἡλικίας, εὑρήσει πολλῷ πλείους τὰς ἀλγηδόνας. Πρῶτον μὲν γὰρ τοῦ παντὸς χρόνου ὁ ἥμισυς ἀδιάφορος, ἐν ᾧ καθεύδω· εἶθ' ὁ πρῶτος ὁ κατὰ τὴν παιδοτροφίαν ἐπίπονος" κ. τ. λ. PS-PLATO (Axioch. p. 366 d): „Ὁπόταν δὲ εἰς τὴν ἑπταετίαν ἀφίκηται πολλοὺς πόνους διαντλῆσαν (τὸ νήπιον), ἐπέστησαν παιδαγωγοὶ, καὶ γραμματισταὶ, καὶ παιδοτρίβαι, τυραννοῦντες" κ. τ. λ. PLATO (Legg. VII, p. 794 A) praecipit ἀπὸ τριετοῦς μέχρι τῶν ἓξ ἐτῶν pueros ac puellas sub nutricibus degere oportere, tum vero pueros a puellis separandos esse, ut disciplinis operam dent (c: πρὸς δὲ τὰ μαθήματα τρέπεσθαι χρεὼν ἑκατέρους). ARISTOTELES (Polit. VII, cap. 14, p. 1335 b): „αὕτη δ'ἐστὶν ἐν τοῖς πλείστοις, ἥνπερ τῶν ποιητῶν τινες εἰρήκασιν οἱ μετροῦντες ταῖς ἑβδομάσι τὴν ἡλικίαν περὶ τὸν χρόνον τὸν τῶν πεντήκοντα ἐτῶν." Ipsis quoque STOICIS hanc divisionem notam fuisse et probatam apparet e verbis AETII, apud quem (IV, 11, 4) Stoici sic dicunt: „ὁ δὲ λόγος καθ' ὃν προσαγορευόμεθα λογικοὶ ἐκ τῶν προλήψεων συμπληροῦσθαι λέγεται κατὰ τὴν πρώτην ἑβδομάδα".[2]) Apud eundem (V, 23, 1) legimus: „Ἡράκλειτος καὶ οἱ Στωικοὶ ἄρχεσθαι τοὺς ἀνθρώπους τῆς τελειότητος περὶ τὴν δευτέραν ἑβδομάδα, περὶ ἣν ὁ σπερματικὸς κινεῖται ὀρρός".[3]) Cum igitur probata fuisse videatur haec divisio Stoicis philosophis, nonne veri simile est, etiam Chrysippum ea usum scripsisse de educatione puerorum, qui in prima hebdomade versentur? Quod ut suspicemur, eo facilius adducimur, quoniam ea, quae et Plutarchus et Quintilianus docent de Chrysippi praeceptis, eiusmodi sunt, ut ad educationem puerorum minorum septem annis modo attinere videantur, id quod supra demonstrare conatus sum.

Si sic se res habet — Chrysippi libellum περὶ παιδοτροφίας egisse de prima hebdomade — facile intellegitur, unde ortum sit vitium, quod Wyttenbach auctori libelli Plutarchei crimini dat. Doctus

---

1) STOB., 98, 72.

2) DIELS, Doxogr. Gr. p. 400, 23, AB ARNIM I, frgm. 149, p. 41.

3) DIELS, Doxogr. Gr., p. 434, 16. Cf. praeterea DIOG. LAERT. VII, 55 (AB ARNIM frgm. 17, p. 212); LUCIAN. Anach. cap. 20; ETYM. GUD. p. 124.

ille vir „Aetatum progressionem" inquit [1]) „infantiae, pueritiae, adolescentiae leviter notat (scriptor huius libelli); ipsarum studia, mores et habitus, dotes et facultates non attingit: *earumdem nec terminos nec partes suis annis significat.*" At Chrysippum in libello περὶ παιδοτροφίας de aetatum progressione loqui necesse non erat, quippe cum scriberet de una modo ex iis partibus, satis iam determinata argumento libri. Itaque neque ille, quisquis fuit, qui epitomen excerpsit ex eo libello, huius rei mentionem fecit. Ea vero, quae apud Plutarchum legimus de educatione puerorum maiorum natu, desumpta sunt ex aliis Stoicorum scriptis, *quae omnino non erant de educatione*, sed hic illic utile quid praebebant ei, qui componeret quasi florilegium earum Stoicorum sententiarum, quae usui esse viderentur ad pueros educandos. Neque ex illis libris igitur exspectari potest divisio hebdomadaria. Certe Plutarchum distincte hac de re acturum fuisse, si librum scripsisset de universa educatione, concedendum est. Si libellus, quem nunc ante oculos habemus, Plutarchi manu scriptus est, quod neminem hucusque argumentis satis firmis probabilibusque negasse infra demonstrabo, nonne inde suspicari licet, eum libellum fuisse inter annotationes eius? Sed hac de re postea.

Opinio mea, Chrysippum de prima modo puerorum aetate egisse, non egisse de universa educatione, ut ii arbitrantur, qui sibi persuaserunt librum Chrysippeum inscriptum fuisse περὶ παίδων ἀγωγῆς, affirmari posse videtur argumento, quod nondum in medium protuli, cum non eiusmodi sit, ut opinioni meae praesidio satis firmo esset, nisi ea aliis et validioribus adminiculis niteretur; quod argumentum hoc loco exponere iuvat.

Gudemannus praeterquam quod invenit vinculum, quod est inter Quintilianum et Plutarchum, etiam animadvertit apud Tacitum in Dialogo de Oratoribus complures locos legi, qui cohaereant cum Plutarchi verbis. Qua de re haec in medium profert:[2]) „Now the Dialogus of Tacitus contains a number of equally striking coincidences with passages in the Ps.-Plutarchean treatise.

---

1) p. 39.
2) p. CI.

It therefore follows that he too is ultimately indebted to Chrysippos περὶ παίδων ἀγωγῆς, the *common* source of Ps.-Plutarchus and Quintilianus."

Locos autem parallelos, quos de educatione apud Tacitum legimus, accuratius inspicientibus nobis apparet, eos agere de parvulis tantummodo pueris, qui degunt sub nutrice, nequedum discunt apud magistrum. Exscribamus locos, quos GUDEMANNUS laudat, pertinentes ad argumentum: ,,Nam pridem suus cuique filius . . . non in cellula emptae nutricis, sed in gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis" (cap. 28; Plut. cap. 5, p. 3c: δεῖ δέ . . . αὐτὰς τὰς ητέρας — ἄτε μισθοῦ φιλοῦσαι). ,,Aut eligebatur maior aliqua natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem familiae suboles committeretur" (cap. 28; Plut. ibid, p. 3d sq.: μάλιστα μὲν οὖν — δοκιμαστέον ἐστί). ,,At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis, plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio accommodatus" (cap. 29; Plut. cap. 7, p. 4a sq.: ἐπεὶ νῦν — τοὺς υἱούς). ,,Horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur, nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante domino aut dicat aut faciat." (cap. 29. Plut. cap. 5, p. 3e sq.: εὔπλαστον — τοῖς παιδίοις λέγειν). ,,Coram qua (maiore aliqua natu propinqua) neque dicere fas erat quod turpe dictu . . . videretur (cap. 28) . . . Quin etiam ipsi parentes non probitati neque modestiae parvulos assuefaciunt, sed lasciviae et dicacitati, per quae paulatim impudentia inrepit." (cap. 29; Plut. cap. 14, p. 9e sq.: καὶ μέντοι — ἀξιομίσητον). Haec fere sunt, quae Gudemannus inter se comparat, pertinentia ad libellum Chrysippi. Qui loci, quamquam non eiusmodi sunt, ut sine dubio concedendum esse videatur eos artius inter se cohaerere [1]) (facere non possum, quin de binis, quos postremos exscripsi, dubitem), tamen vix negari potest, verba Taciti Chrysippum quodammodo redolere. Sin autem iure Gudemannus contendit Taciti sententias oriundas esse e

1) DYROFF rem addubitare videtur., cf. p. 270. Haudquaquam TACITUM cum CHRYSIPPO comparari vult J. J. HARTMAN Mnemos. 1912, p. 242 sq. = De Plutarcho scriptore et philosopho Lugd. Bat. 1916, p. 5 sq.

Chrysippi libello, ea re apparet hunc libellum de prima modo pueritia egisse. Nam apud Tacitum nullum aliud vestigium invenitur libelli Chrysippei, nisi ubi sermo est de pueritia: sane eodem capite Tacitus loquitur de adulescentibus ac praeceptoribus, tum vero nihil legitur, quod admonet de Chrysippo. Gudemannus ternos [1]) quidem alios locos laudat, sed non solum dubitandum est de eorum affinitate,[2]) verum etiam attinent ad ipsam rhetoricam; itaque si revera quoquomodo cohaerent cum Chrysippi sententiis, eorum origo quaerenda esse videtur in libro, quem philosophum composuisse de rhetorica arte constat.

---

1) Tacit. cap. 33: neque enim — accedat . . . sicui — separat. (Plut. cap. 4 ὡς εἰς τὴν —μελετῆς ... ἡ μὲν γὰρ — ἀτελές). Tacit. cap. 23: adeo maesti — consequuntur ... parum est — laudatur. (Plut. cap. 9 τὴν σμικρολογίαν —εἶναι δεῖ). Tacit. cap. 37: ut secura — extollant (Plut. cap. 9 τὸ μὲν γὰρ — θαυμάζεται).

2) ,,Eloquentiam non solum arte et scientia, sed longe magis facultate et usu contineri'' placitum erat usitatius, quodque apud omnes fere, qui de arte rhetorica scripserunt, legitur. (cf. e. g. Cic. de Orat. I passim). Cur Tacitus haec Chrysippo debeat? Taciti locus, quem postremum Gudemannus laudat, valde corruptus est, neque igitur idoneus ad comparandum cum Plutarchi loco, quippe una modo e coniecturis doctorum virorum cum Plutarchi verbis comparare licet; aliae omnes sententiam prorsus alienam praebent.

CAPUT III.

De nonnullis Plutarchi locis, qui Stoicam doctrinam redolentes e Chrysippi libello non profluxerunt.

Praeter sententias, quibus exponitur puerorum nutritio, quas superiore capite e Chrysippi libello oriundas esse ostendi, alii loci leguntur in libro Plutarchi, qui e Stoicorum doctrina profluxisse videantur. Quibus de locis summa sagacitate v. d. DYROFF egit; itaque haud necesse videtur eos omnes hic commemorare; modo id dicam doctum illum virum locos Stoicos, quos investigavit apud Plutarchum, referre ad Chrysippi de liberis educandis librum; me vero, qui mihi persuaserim Chrysippum scripsisse περὶ παιδοτροφίας, ut supra iam dixi, arbitrari cetera Stoica ex aliis Stoicis scriptis hinc illinc congesta esse.

De nonnullis locis pauca dicturus sum.

Complures philosophi, cum alii, tum praesertim Stoici, scripserunt de matrimonio. PERSAEUM traditum est scripsisse περὶ γάμου[1]) librum, περὶ ὑμεναίου[2]) CLEANTHEM, CHRYSIPPUM περὶ γάμου[3]) librum, περὶ γυναικὸς συμβιώσεως et περὶ γάμου[4]) libros ANTIPATRUM.

Apud Plutarchum vestigia inveniuntur, quae Stoicorum praecepta indicent. Nam licet congruentia, quae Plutarchi praeceptis est cum Stoicorum verbis, non per se ipsam demonstret altera cohaerere cum alteris, tamen in libello, qui quasi scateat vestigiis Stoicorum doctrinam indicantibus, de ea cohaerentia vix dubita-

---

1) DIOG. LAERT. VII, 36, AB ARNIM I, frgm. 435.
2) DIOG. LAERT. VII, 174, AB ARNIM I, frgm. 481.
3) PLUT. de Stoic. repugn. cap. 9 p. 1035b, AB ARNIM II, frgm. 30.
4) STOB. Flor. 70, 13; 67, 25, AB ARNIM III, p. 254, frgmm. 62, 63.

ri potest. Conferas hunc Plutarchi locum: 'Πειρατέον δὲ τοὺς τῶν ἡδονῶν ἥττους καὶ πρὸς τὰς ἐπιτιμήσεις δυσηκόους γάμῳ καταζεῦξαι, δεσμὸς γὰρ οὗτος τῆς νεότητος ἀσφαλέστατος' (cap. 19 p. 13 f) cum his HIERONYMI verbis: ,,Ridicule Chrysippus ducendam uxorem sapienti praecipit, ne Iovem Gamelium et Genethlium violet."[1]) Quibus locis inter se conferendis plus attribuet, qui illud attenderit Plutarchum inter vitia iuvenilia saepius enumerare adulterium. Cap. 7 p. 5 b haec legimus: 'ἤδη δέ τινες καὶ τῶν νεανικωτέρων ἅπτονται κακῶν, μοιχεύοντες καὶ οἰκοφθοροῦντες[2]) καὶ μίαν ἡδονὴν θανάτου τιμώμενοι,' cap. 16 p. 12 b: 'καὶ παρθένων ἔρωτες καὶ γυναικῶν οἰκοφθορίαι γαμετῶν'.

Ad haec conferas ORIGENEM (contra Celsum VII, 63), qui eodem fere nomine vitium adulterii indicasse Stoicos demonstrat: 'ἐκκλίνουσι τὸ μοιχεύειν οἱ τὰ τοῦ Κιτιέως Ζήνωνος φιλοσοφοῦντες . . . . διὰ τὸ ⟨μὴ⟩ κοινωνικὸν καὶ παρὰ φύσιν εἶναι τῷ λογικῷ ζώῳ νοθεύειν τὴν ὑπὸ τῶν νόμων ἑτέρῳ προκαταληφθεῖσαν γυναῖκα καὶ φθείρειν τὸν ἄλλου ἀνθρώπου οἶκον'.[3])

Cap. 19 p. 13 f. Plutarchus admonet, ne filii feminas ditiores vel nobiliore loco ortas in matrimonium ducant: 'ἐγγυᾶσθαι δὲ δεῖ τοῖς υἱέσι γυναῖκας μήτ' εὐγενεστέρας πολλῷ μήτε πλουσιωτέρας'. ANTIPATER Tarsensis, philosophus Stoicus, idem fere praecipit in libro cui nomen περὶ γυναικὸς συμβιώσεως: 'Πρῶτον μὲν χρὴ τὴν μνηστείαν μὴ εἰκῆ ποιήσασθαι ἀλλὰ πάνυ πεφροντισμένως, μηδ' εἰς πλοῦτον μηδ' εἰς ὀγκοῦσαν εὐγένειαν μηδὲ εἰς ἄλλην χάσμην μηδεμίαν ἀποβλέπειν.'[4]) Ut Plutarchus 'ὡς οἵ γε μακρῷ κρείττους, inquit, ἑαυτῶν λαμβάνοντες οὐ τῶν γυναικῶν ἄνδρες, τῶν δὲ προικῶν

---

1) Adv. Iovinianum II, 48, AB ARNIM III, frgm. 727. Quare ridiculum videatur HIERONYMO id praeceptum, apparet ex iis, quae sequuntur: ,,Isto enim modo apud Latinos ducenda uxor non erit, quia Iovem non habent nuptialem." (!) Cf. DYROFF, p. 236. Ceterum HIERONYMUS hic in reliquiis libri SENECAE, q. e. de matrimonio, tradere videtur THEOPHRASTI ,,librum aureolum de nuptiis". Cf. F. BOCK, Aristoteles, Theophrastus, Seneca de matrimonio, Leipz. Stud. 19 (1899), 1 sqq., SCHANZ, Röm. Litt. IV, 1[2], p. 476.

2) *οἰκοφθοροῦντες* WYTTENBACH legit pro lectione codicum, qui praebent *κιττοφοροῦντες*. Cf. WYTTENB. ad locum, ubi coniecturam argumentis satis firmis probat. HEUMANNUS susp. *κοιτοφθοροῦντες*.

3) AB ARNIM III, frgm. 729. Vocabulum q. e. *μή* AB ARNIM addidit. Cf. DYROFF, p. 221.

4) Apud STOB. Flor. 70, 13, AB ARNIM III, frgm. 62, p. 254.

δοῦλοι λανθάνουσι γιγνόμενοι', ita Antipater dicit: 'τοὺς μὲν ὑπὸ τοῦ κάλλους τεθηρευμένους, τοὺς δ' ὑπὸ τῆς προικός', [1]) nec divitias, nobilitatem, pulchritudinem 'ὡς ἐπὶ πᾶν ὄγκον καὶ δεσποτικὸν ἦθος' efficere negat.[1]) Haec inter sese cohaerere videntur, quamquam haud dici potest, quo vinculo connexa sint. Fieri potest, ut utriusque auctoris verba referenda sint ad Chrysippi librum. Sed Dyroff: „Wieviel", inquit, „von der Chrysippeischen Schrift περὶ γάμου in diejenige des ANTIPATROS . . . überging, lässt sich schwer sagen."[2])

Cap. 2 sive ipse Plutarchus, sive is, cuius opere usus est, repugnare videtur sententiae, quam fontes Stoici ei obtulerant. Nam apud DIOGENEM LAERTIUM sic legimus: 'ἀρέσκει δὲ αὐτοῖς καὶ κοινὰς εἶναι τὰς γυναῖκας δεῖν παρὰ τοῖς σοφοῖς· ὥστε τὸν ἐντυχόντα τῇ ἐντυχούσῃ χρῆσθαι, καθά φησι Ζήνων ἐν τῇ Πολιτείᾳ καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ περὶ Πολιτείας' [3]) et apud SEXTUM: 'καὶ τοὺς Στωικοὺς δὲ ὁρῶμεν οὐκ ἄτοπον εἶναι λέγοντας τὸ ἑταίρᾳ συνοικεῖν ἢ τὸ ἐξ ἑταίρας ἐργασίας διαζῆν'.[4]) Qua in re Plutarchus aliter se iudicare profitetur: 'τοῖς τοίνυν ἐπιθυμοῦσιν ἐνδόξων τέκνων γενέσθαι πατράσιν ὑποθείμην ἂν ἔγωγε μὴ ταῖς τυχούσαις γυναιξὶ συνοικεῖν, λέγω δ' οἷον ἑταίραις ἢ παλλακαῖς.' Nonne consentaneum videtur eum inspexisse ea, quae Stoici hac de re disseruerant?

Idem contendi potest de argumento, quod cap. XV auctor tractavit, puerorum dico amorem. Stoici eum amorem concesserunt[5]) et inter ἀδιάφορα quae vocabant collocarunt.[6]) Plutarchus autem censet arcendos esse eos, qui formam speciosam spectent, deligendos vero animi amatores. Revera pulchrum esse Stoici iudicant[7]) sapientem solum eumque praecipiunt esse amandum, qui per formam virtutem significet.[8])

---

1) Apud STOB. Flor. 67, 25, AB ARNIM III, frgm. 63.

2) p. 237.

3) DIOG. LAERT. VII, 131, AB ARNIM III, frgm. 728.

4) SEXT. Pyrrh. Hypot. III, 201, AB ARNIM III, frgm. 755.

5) ATHEN. XIII 563e, AB ARNIM I, frgm. 247.

6) SEXT. Pyrrh. Hypot. III, 200, AB ARNIM I, frgm. 249.

7) Cf. PLUT. de comm. not. cap. 28 p. 1072f, AB ARNIM III, frgm. 719.

8) Cf. DIOG. LAËRT. VII, 129, AB ARNIM III, frgm. 716; DIOG. LAËRT. VII, 127, AB ARNIM III, frgm. 718; Scholia in Dionys. Thrac., BEKKER Anecd. Gr. p. 667, AB ARNIM III, frgm. 721; ALEX. APHROD. comm. in Arist. Top. II, AB ARNIM III, frgm. 722.

In triadem paedagogicam, a Plutarcho cap. 4 expositam, Dyroff exquisitius investigavit;[1]) quam manare e Stoica doctrina ostendit. Ad cuius argumenta affirmanda nonnullos locos exscribo, quos ille omisit. Alteri loci quo facilius comparentur cum alteris, Plutarchi verba apponam.

Plut. cap. 4 p. 2a.	Anecd. graeca Paris. ,Cramer Vol. I. p. 171; ab Arnim III, frgm. 214.
Καθόλου μὲν εἰπεῖν, ὃ κατὰ τῶν τεχνῶν καὶ τῶν ἐπιστημῶν λέγειν εἰώθαμεν, ταὐτὸ καὶ κατὰ τῆς ἀρετῆς φατέον ἐστίν, ὡς εἰς τὴν παντελῆ δικαιοπραγίαν τρία δεῖ συνδραμεῖν, φύσιν καὶ λόγον καὶ ἔθος. καλῶ δὲ λόγον μὲν τὴν μάθησιν, ἔθος δὲ τὴν ἄσκησιν. εἰσὶ δ' αἱ μὲν ἀρχαὶ τῆς φύσεως, αἱ δὲ προκοπαὶ τῆς μαθήσεως, αἱ δε χρήσεις τῆς μελέτης, αἱ δ' ἀκρότητες πάντων.	Ἀριστοτέλης δὲ φύσει καὶ ἔθει καὶ λόγῳ· ἀμέλει καὶ οἱ Στωικοί· τέχνη γὰρ ἡ ἀρετή. πᾶσα δὲ τέχνη σύστημα ἐκ θεωρημάτων συγγεγυμνασμένων· καὶ κατὰ μὲν τὰ θεωρήματα ὁ λόγος· κατὰ δὲ τὴν συγγυμνασίαν τὸ ἔθος· φύσει δὲ πάντες πρὸς ἀρετὴν γεννώμεθα, καθ' ὅσον ἀφορμὰς ἔχομεν κ. τ. λ.[2])

Compares praeterea haec SIMPLICII verba (in Aristot. categ. f 62 Γ ed., Bas., ab Arnim III, frgm. 217): 'καὶ γὰρ οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς πρὸς μὲν τὰς τέχνας ἐπιτηδειότητα μόνην ἀπέλιπον τὴν ἁπλῶς οὑτωσὶ θεωρουμένην, πρὸς δὲ τὰς ἀρετὰς τὴν ἀξιόλογον προκοπὴν ἐκ φύσεως προϋπάρχειν ἀπεφήναντο.'

Plut. ibid. p. 2c.	Clemens Al. Strom. I, p. 336 Pott., ab Arnim III, frgm. 225.
εἰ δέ τις οἴεται τοὺς οὐκ εὖ πεφυκότας μαθήσεως	τὸ δ' ἄλλους παρ' ἄλλους εὖ πεφυκέναι πρὸς ἀρετὴν

1) p. 201 sqq. p. 250 sqq. De triade paedagogica cf. i. a. C. P. GUNNING, de Sophistis Graeciae praeceptoribus, p. 132 sqq.

2) Cf. PHIL. IUD. de somn. p. 590 b: *τὴν ἀρετὴν ἢ φύσει, ἢ ἀσκήσει ἢ μαθήσει παραγίγνεσθαί φασι*; de praem. et poen. p. 920c: *πλήρωμα ἀρετῶν ἡ ψυχὴ διὰ τριῶν τῶν ἀρίστων. φύσεως, μαθήσεως, ἀσκήσεως.* Vide WYTTENB. ad loc.; P. WENDLAND, Berl. Philol. Woch. 1897, 45, col. 1384.

καὶ μελέτης τυχόντας ὀρθῆς πρὸς ἀρετὴν οὐκ ἂν τὴν τῆς φύσεως ἐλάττωσιν εἰς τοὐνδεχόμενον ἀναδραμεῖν, ἴστω πολλοῦ, μᾶλλον δὲ τοῦ παντὸς διαμαρτάνων. φύσεως μὲν γὰρ ἀρετὴν διαφθείρει ῥᾳθυμία, φαυλότητα δ᾽ἐπανορθοῖ διδαχή· καὶ τὰ μὲν ῥᾴδια τοὺς ἀμελοῦντας φεύγει, τὰ δὲ χαλεπὰ ταῖς ἐπιμελείαις ἁλίσκεται.

ἐπιτηδεύματα μέν τινα τῶν οὕτω πεφυκότων παρὰ τοὺς ἑτέρους ἐνδείκνυται τελειότητα δὲ κατ᾽ ἀρετὴν οὐδ᾽ ἡντινοῦν τῶν ἄμεινον φύντων κατηγορεῖ, ὁπότε καὶ οἱ κακῶς πεφυκότες πρὸς ἀρετὴν τῆς προσηκούσης παιδείας τυχόντες ὡς ἐπίπαν καλοκἀγαθίας ἥνυσαν, καὶ αὖ τὰ ἐναντία οἱ ἐπιτηδείως φύντες ἀμελείᾳ γεγόνασι κακοί.

Quibuscum etiam haec conferenda sunt:

Diog. Laert. VII, 91, ab Arnim III, frgm. 223: 'διδακτήν τε εἶναι αὐτὴν (λέγω δὲ τὴν ἀρετὴν) καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Τέλους φησί . . . ὅτι δὲ διδακτή ἐστι δῆλον ἐκ τοῦ γίνεσθαι ἀγαθοὺς ἐκ φαύλων.' Seneca ep. 94, 30: „*ingenii vis praeceptis alitur* et crescit novasque persuasiones adicit innatis et depravata corrigit;" 31: „*nancta vero* (*indoles*) *praesidium et adiuta praeceptis evalescit.*"

Indaganti vestigia Stoica caput 10 abundare videbitur sententiis e Stoicorum doctrina profluentibus.

Iam quae initio capitis leguntur de encycliis quae vocantur disciplinis, Stoica, eaque sine dubio Chrysippea, admonent. Nam Zenonem et Chrysippum de encycliis disciplinis dissentire Dyroff his verbis demonstrat:[1]) „Eine der Differenzen zwischen Zenon und Chrysippos, welche Diogenes Laertios meint,[2]) bestand wohl darin, dass Chrysippos im Anschlusse an Aristoteles[3]) erklärte, sie seien wohl brauchbar;[4]) es würde aber seiner ganzen Philosophie widersprechen, wollte er denselben neben der Philosophie mehr

1) p. 257.

2) Diog. Laert. VII, 179.

3) Diog. Laert. V, 31: *εὔχρηστα δὲ καὶ τὰ ἐγκύκλια μαθήματα πρὸς ἀρετῆς ἀνάληψιν* (dixit Aristoteles sc.)

4) Diog. Laert. VII, 129 (dixit Aristoteles) *εὐχρηστεῖν δὲ καὶ τὰ ἐγκύκλια μαθήματα.*

als untergeordneten Wert zumessen." Cui Chrysippi opinioni congruunt ea, quae initio capitis 10 dicuntur. Praeter Diogenis locos, a Dyroffio allatos, hunc Quintiliani comparandum esse puto:[1]) „Et eius sectae, quae aliis severissima, aliis asperrima videtur, principes in hac fuere sententia, ut existimarent sapientium aliquos nonnullam operam his studiis[2]) accommodaturos." —

Ad comparationes, quas Plutarchus paulo post (p. 7d) exhibet, quarum altera BIONI hic tribuitur, alibi vero ARISTIPPO[3]) et ARISTONI CHIO, philosopho Stoico,[4]) Wyttenbach SENECAE[5]) et complures PHILONIS IUDAEI[6]) locos parallelos affert, qui Stoicam originem indicare videantur. —

Philosophiam Plutarchus solam ait remedium esse animi aegritudinum atque affectuum, comparatque eam cum medicina et gymnastice, quarum artium altera morbis corporis medeatur, altera pulchram firmamque staturam reddat (p. 7d): 'περὶ μὲν γὰρ τὴν τοῦ σώματος ἐπιμέλειαν διττὰς εὗρον ἐπιστήμας οἱ ἄνθρωποι, τὴν ἰατρικὴν καὶ τὴν γυμναστικήν, ὧν ἡ μὲν τὴν ὑγίειαν, ἡ δὲ τὴν εὐεξίαν ἐντίθησι. τῶν δὲ τῆς ψυχῆς ἀρρωστημάτων καὶ παθῶν ἡ φιλοσοφία μόνη φάρμακόν ἐστι.' Eandem vero comparationem exhibet Chrysippus, qui de animi affectibus ac morbis scripsit.[7]) Ipsius verba promo, a GALENO[8]) servata. Qui postquam rogavit: 'Τί δὲ Χρύσιππος ἐν τῷ περὶ παθῶν ἠθικῷ γράφει ταυτί;' respondet ipsius Chrysippi verbis: 'Οὔτε γὰρ περὶ τὸ νοσοῦν σῶμα ἐστί τις τέχνη, ἣν προσαγορεύομεν ἰατρικήν, οὐχὶ δὲ καὶ περὶ τὴν νοσοῦσαν ψυχήν ἐστί τις τέχνη,' ac paulo post: 'Καθάπερ γὰρ καὶ ἐπὶ τοῦ σώματος θεωρεῖται ἰσχύς τε καὶ ἀσθένεια, εὐτονία καὶ ἀτονία [καὶ τόνος], πρὸς δὲ τούτοις ὑγίειά τε καὶ νόσος, εὐεξία τε καὶ καχεξία,' καὶ

---

1) I, 10, 15, AB ARNIM III, frgm. 740.

2) Sermo est de musices disciplina, una ex illis encycliis disciplinis.

3) DIOG. LAERT. II, 79, AB ARNIM I, frgm. 349.

4) STOB. Flor. 4, 109, AB ARNIM I, frgm. 350.

5) SENEC. ep. II.

6) PHIL. IUD. de temulentia p. 247a, de congressu ad propaed. p. 245c, 426b, 428b, 434 sqq.

7) Cf. AB ARNIM III, frgm. 461.

8) De Hipp. et Plat. decr. IV, 2 (158) p. 413 M., AB ARNIM III, frgm. 471; cf. DYROFF p. 259.

τἄλλα ὅσα τούτοις ἑξῆς καταλέγει πάθη τε καὶ ἀῤῥωστήματα καὶ νοσήματα, 'κατὰ τὸν αὐτόν, φησί, τρόπον ἀνάλογόν τινα πᾶσι τούτοις καὶ ἐν ψυχῇ λογικῇ συνίσταταί τε καὶ ὀνομάζεται.' Quo loco comparato cum iis, quae Plutarchus dicit, facile quis concedet, utriusque verba necessitudinem quandam perspicuam ostendere, cum quod ad vim sententiae, tum quod ad verborum usum. Uterque enim animi affectus πάθη et ἀρρωστήματα nominat, quem usum vocabuli q. e. ἀρρώστημα Stoicum fuisse non solum hoc Galeni loco patet, verum etiam a CICERONE affirmatur his verbis:[1]) ,,Ex perturbationibus autem primum morbi conficiuntur, quae vocant illi (Stoici) νοσήματα, eaque quae sunt eis morbis contraria, quae habent ad res certas vitiosam offensionem atque fastidium, deinde aegrotationes, *quae appellantur a Stoicis* ἀρρωστήματα, hisque item oppositae contrariae offensiones. *Hoc loco nimium operae consumitur a Stoicis, maxime a Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo.*" Quae verba Ciceronis affirmare videntur Plutarchi locum oriundum esse e Stoica doctrina. —

Deinde (p. 7d sqq.) auctor disputatiunculam habet de commodis philosophiae, — omnia fere nasci putat ex ea parte philosophiae, quam ethicam vocamus, — propter quae ei operam impendendam esse vult. Stoicos quoque e tribus partibus, in quas philosophiam diviserunt, logica, physica, ethica, postremae plurimum tribuisse constat. E. g. libri, qui de Plac. phil. est auctor dicit[2]) Stoicos persuasum sibi habere τὴν φιλοσοφίαν ἄσκησιν εἶναι τῆς ἀρετῆς, et Seneca affirmat[3]) philosophiam studium virtutis esse. Quin etiam Aristo Chius ἐπεχείρησε λέγειν ὡς δέοι μόνα τὰ ἠθικὰ φιλοσοφεῖν[4]). —

De iis, quae tum praecipiuntur apud Plutarchum, qua ratione scilicet hominibus utendum sit, Stoici quoque scripserunt. Ut

---

1) Tusc. disp. IV, 10, 23, AB ARNIM III, frgm. 424.

2) De plac. phil. prooem.

3) Ep. 89, 8, cf. ibid. 13.

4) EUSEB. praep. evang. XV, 62, 7, AB ARNIM I, frgm. 353, cf. DIOG. LAERT. VI, 103, AB ARNIM I, frgm. 354. Hac re vero ARISTO discedit a communi Stoicorum doctrina, cf. AB ARNIM apud PAUL.-WISS. i. v.; ZELLER III, 1, 36 sqq.

unum afferam, traditum est[1]) DIONYSIUM HERACLEOTAM, philosophum Stoicum, scripsisse librum, cui titulus: περὶ ἀνθρώπων χρήσεως. Non solum autem sententia, sed etiam ipsa verba Stoicam originem monstrant. Praeter ea, quae Dyroff indicat,[2]) conferas SENECAE haec:[3]) ,,Eam partem philosophiae, quae dat propria cuique personae praecepta nec in universum componit hominem, sed *marito suadet, quomodo se gerat adversus uxorem, patri quomodo educet liberos, domino quomodo servos regat,* quidam solam receperunt'' cum his Plutarchi: ʽδιὰ γὰρ ταύτην ἔστι καὶ μετὰ ταύτης γνῶναι.... π ῶ ς γ υ ν α ι ξ ὶ π ῶ ς τ έ κ ν ο ι ς π ῶ ς ο ἰ κ έ τ α ι ς χ ρ η σ τ έ ο ν ἐ σ τ ί''. Tota ea Senecae epistula, qua agit de Aristonis hac de re placitis, demonstrat complura apud Stoicos disputata fuisse, quae Plutarchus quoque tangat.—

De tribus vitae generibus, quae auctor exponit, CHRYSIPPUS quoque scripsit.[4]) ,,Dass 8a bei der Schätzung der drei Lebensweisen (πρακτικός, θεωρητικός, ἀπολαυστικός) nur die Termini Aristotelisch, der Gedanke aber stoisch ist, hat bereits Wyttenbach angegeben.''—[5])

Etiam postremae capitis parti Stoicam sententiam inesse puto. Haec inter se compares:

Plut. p. 8b.	Philo, de sacrif. Abel et Cain § 78. Vol. I p. 234, 7 Cohn; ab Arnim III, frgm. 739.
πρὸς δὲ τοῖς εἰρημένοις χρήσιμον, μᾶλλον δὲ ἀναγκαῖόν ἐστι μηδὲ τῆς τῶν παλαιῶν συγγραμμάτων κτήσεως ὀλιγώρως ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τούτων ποιεῖσθαι συλλογὴν κατὰ τὸ γεωργῶδες.	ὠφέλιμον μὲν οὖν, εἰ καὶ μὴ πρὸς ἀρετῆς κτῆσιν τελείας, ἀλλά τοι πρὸς πολιτείαν, καὶ τὸ παλαιαῖς καὶ ὠγυγίοις ἐντρέφεσθαι δόξαις, καὶ ἀρχαίαν ἀκοὴν ἔργων καλῶν μεταδιώκειν, ἅπερ ἱστορικοὶ καὶ πᾶν τὸ ποιητικὸν γένος τοῖς τε καθ' ἑαυτοὺς καὶ τοῖς ἔπειτα μνήμῃ παραδέδωκασι.

1) DIOG. LAERT VII, 167.
2) p. 260.
3) Ep. 94, 1.
4) Cf. WYTTENB. ad locum; quod ad argumentum cf. AB ARNIM III, p. 173 sqq.
5) DYROFF p. 253 ibique all. DIOG. LAERT. VII, 130.

Forsitan dicat quis, omnino non esse memoria dignum utrumque auctorem multum tribuere antiquis scriptoribus neque inde, quod forte idem fere dicant, colligere licere alterum cum altero cohaerere, cum praesertim eis verbis nihil dicatur, quod proprium Stoicae doctrinae sit. Cum vero totum caput Stoica praebeat et postrema eius pars consimilis fere sit verbis Philonis, apud quem philosophum Stoici plurimum valuerint,[1]) fortasse non prorsus immerito locos contuli. —

Postremum expedit ea, quae auctor cap. 17, p. 12 f sqq. dicit de adulatoribus, comparare cum Senecae epist. 123. Hic disertius loquitur de hoc loco, ille astrictius; vinculum vero quoddam alteri inesse cum altero haud infitiari possumus.

---

1) Cf. ab Arnim I, praef. p. XIX; Christ-Schmid II, 1^{5}, p. 503 sqq.

CAPUT IV.

De auctoritate et origine libelli.

§ 1. *De iis viris, qui libellum a Plutarcho abindicaverunt.*

Medio aevo aetateque recentiore ineunte plurimum valuisse libellum Plutarcheum apud doctos viros in prooemio iam ostendimus. Ut appareat, quanti libellus aestimaretur, PHILIPPI MELANCHTHONIS affero haec:[1]) „In quo auctore (Plutarcho) nihil est non summum: deinde in hoc libello adeo vobis (iuventuti Wittebergensi) conciliandae virtutis ratio praescribitur, ut dubitem, an a philosophis uspiam melius quiddam traditum sit litteris. Proinde vestrum erit in hoc libello sic versari, ut eius lectionem non modo utilem linguae, sed omnino etiam vitae emendandae frugiferam putetis."

Primus MURETUS[2]) dubitavit, annon liber, qui est de liberis educandis, ab ipso Plutarcho scriptus esset. Nullum vero argumentum praebuit, quo suspicionem affirmaret. Haec modo dicit: „in libello, qui Plutarchi quidem non videtur, sed inter ipsius opuscula tamen legitur, De Liberis Educandis."[3]) Mureto repugnat HEUSINGER in praefatione editionis anno 1749 in lucem proditae: „Quae vero ratio Muretum impulerit, ut hunc librum suspectum haberet, nec ipse coniectura assequi potui nec, dum reliqua Plutarchi opera cum hoc commentario contenderam, deprehendi, quod istam confirmare videretur suspicionem. Et profecto admodum invalido uteretur argumento, siquis putaret, ideo a Plutarcho

1) E programmate, quo praelectiones publicas in hunc PLUTARCHI librum destinatas indicavit anno 1519°, quod programma legitur apud HEUSINGERUM in editione libelli anni 1749.

2) Cf. HIRZEL o. l. p. 118.

3) Var. Lectt. XIV, 1; cf. WYTTENB. p. 31.

scriptum istud profectum non esse, quia nonnulla in eo occurrant, quae a nostro auctore in aliis libris contrarium in modum prolata aut explicata inveniantur. Dudum enim ostenderunt viri docti, non insolitum fuisse Plutarcho easdem sententias easdemque historias flectendo ac torquendo ad diversissimos scopos accommodare. Genus certe dicendi, Plato et Euripides saepissime in partes vocati, ac reliqua omnia in libro, de quo disputatur, adeo cum caeteris Chaeronensis philosophi scriptis consentiunt, ut illum pro germano eiusdem ingenii foetu merito agnoscamus. Orationem tamen si quis obiiciat in hoc scripto pressiorem atque circumscriptiorem occursare, quam in aliis Plutarchi libris, ille meminerit, homines cum aetate, ut mores ita stilum plerumque immutare. Et quid prohibet suspicari, hunc librum a Plutarcho aetate iam provecto conscriptum esse, ut senium priorem absterserit redundantiam tumoremque compresserit?"

Ioannes Rualdus, qui Plutarchi vitam scripsit, libellum, secutus ut suspicatur Wyttenbach Muretum, inter spurios numerat, nullo addito argumento.[1])

Summum vero Wyttenbach ibello laborem impendit scribenda disputatione, qua ostenderet „scriptorem huius libri non esse Plutarchum Chaeronensem" quam disputationem, scriptam summa sollertia, perspicuitate, sermonis elegantia, praemisit animadversionibus in libellum factis. De huius imprimis argumentis hoc capite mihi agendum esse videtur.

Abiudicandum esse libellum a Plutarcho argumentis e sermone ductis ostendere conatus est Burkard Weissenberger in disputatione, cui titulus: „Die Sprache Plutarchs von Chaeronea und die pseudoplutarchischen Schriften, Straubing 1895."

„De optativi apud Plutarchum usu" inquisivit Alfredus Hein (Trebnitziae 1915), qui ex optativi usu iam patere ait libellum genuinum haberi non posse. De utriusque viri argumentis agam.

Hi docti viri soli sunt, qui data opera egerint de quaestione, quamquam alii quoque eam tetigerunt. E. g. scriptiunculam

---

1) Vita Plutarchi, cap. XX, p. 41. Addita est haec Rualdi vita editioni Parisinae anni 1624.

genuinam ac Plutarcheam esse putaverunt CRAMER,[1] GREARD,[2] DASSARITIS,[3] NACHSTAEDT,[4] spuriam vero ac suppositam GRASBERGER,[5] VOLKMANN,[6] JONES,[7] GERCKE,[8] PRAECHTER,[9] HARTMAN,[10] in medio reliquit rem BENSELER.[11])

§ 2. *Qua ratione considerandum sit de libello.*

De libelli auctoritate et origine consulto nunc primum agimus, postquam superioribus capitibus de fontibus inquisitionem instituimus. Eventa enim huius inquisitionis eiusmodi sunt, ut putem longe alia ratione de auctoritate libelli esse iudicandum ac plerumque fit. Quem considerandi modum paucis verbis expositurus sum.

WYTTENBACH et qui ante eum de quaestione iudicaverunt viri docti, de puerorum educatione libellum in iudicium vocaverunt,

---

1) FR. CRAMER, Geschichte der Erziehung und des Unterrichts II, p. 700 n. 2111.

2) O. GRÉARD, De la morale de Plutarque, Paris. 1880, p. 131, n. 3.

3) ELIAS DASSARITIS, Die Psychologie und Pädagogik des Plutarch, Gotha 1889, p. 4 n. 2: 'O Volkmann *στερεῖται ἀρκούντων μέσων, ὅπως ἀποδείξῃ τὸ ἔργον τοῦτο ὡς μὴ γνήσιον· τοὐναντίον δ' ὁ* Gréard *καὶ πλεῖστοι ἄλλοι θεωροῦσι τὸ ἔργον τοῦτο ἐντελῶς γνήσιον, ἀλλ' ὑποστὰν δία τοῦ χρόνου παραφθορὰν κειμένου.*

4) NACHSTAEDT, De Plut. declamationibus quae sunt de Alexandri fortuna (1895, Berlin), p. 10 n. 1.

5) GRASBERGER o. l. II, p. 62: „Wenn aber in dem unter Plutarchos Namen erhaltenen Büchiein über Knabenerziehung cap. 10 die Anweisung ertheilt wird, der übliche Lehrstoff (*τὰ ἐγκύκλια παιδεύματα*) solle nur nebenbei (*ἐκ παραδρομῆς*) gelehrt worden, die Philosophic aber ein obligater und erster Unterrichtsgegenstand sein (*τὴν δὲ φιλοσοφίαν πρεσβεύειν*), so wird man schon um dieser Ungehörigkeit willen, in dem ja von Knaben die Rede ist, den Beweisen WYTTENBACHS gegen die Echtheit dieser Schrift seine Zustimmung nich versagen können. So verlangen die Stoiker, dass nicht nur die Jünglinge, sondern schon die Knaben in der Logik oder doch in der Auflösung von Syllogismen geübt werden sollten." Cf. II, p. 225; SCHMIDT, Geschichte der Erziehung I, p. 332.

6) R. VOLKMANN, Leben und Schriften des Plutarch von Chaeronea, Berlin 1869, sib. persuasum habet ea scripta, in quibus auctor hiatum admisit, Plutarchi non esse cf. I, pp. 113, 180.

7) W. H. S. JONES, Quintilian, Plutarch and the early Humanists (The classical Review 1907.)

8) A. GERCKE, Rh. Mus. 41 (1886), p. 471.

9) PRAECHTER, Hierokles der Stoiker, 1901, Leipzig, p. 83, n. 1.

10) J. J. HARTMAN, Ad Plut. mor. annott. crit. Mnem. 40 (1912), p. 238 sqq. = De Plutarcho scriptore et philosopho, Lugd. Bat. 1916, pp. 1—14.

11) BENSELER, De hiatu in scriptoribus Graecis, pars I, Freiburg. 1841, p. 314 sqq.

quasi contenderet se omnibus ex partibus Plutarcheum esse, ideoque sibi licere, omnia genuini libri iura vindicare. Quis est, qui miretur, a talibus iudicibus libellum ignominiose dimissum esse? Nemo enim negabit dictionem libelli aliquatenus abhorrere a Plutarchei sermonis facilitate et elegantia. Neque vero tali ratione iudicari neque illis legibus condemnari debet.

Supra exemplis et argumentis satis claris ac firmis demonstrasse mihi videor opusculum Plutarcheum maxima ex parte constare Stoicorum placitis, atque adeo hic illic ipsis fere verbis Stoica praecepta praebere. Quod si animadvertimus, iam licet suspicari, in manibus nos habere sententias quasdam e scriptis Stoicis magna ex parte collectas, Plutarchi ingenio iam quodammodo, id quod postea accuratius ostendam, imbutas. Si vero ostendere poterimus, nihil obstare, quominus has sententias, ut nunc eas habeamus, Plutarchi manu scriptas esse putemus, si insuper nonnulla reperire poterimus, quae Plutarchum indicent, licebit de puerorum educatione libellum, quoquomodo se habet et undecunque ortus est, adnumerare scriptis Plutarcheis, non sane iis, quae Plutarchus perfecta ac lima polita in lucem edidit, verum iis, in quae contulerat aliorum auctorum sententias ac narratiunculas, quas, paucis ipsius verbis ornatas, servaret ut postea sibi essent adiumento ad maius opus componendum. Revera Plutarchum sententias et narratiunculas sibi comparasse dicunt CHRIST-SCHMID:[1]) „Er hatte sich zu diesem Zweck eine grosse Sammlung von Aussprüchen und Anekdoten angelegt, die ihm für seine Gelegenheitsschriften ein stets bereites, reiches Material bot."[2]) Si vero sic res se habet neque libellus est, id quod ait WEISSENBERGER,[3]) „das Machwerk eines unreifen und unfertigen Autors," manifestum videtur alia ratione aliaque lege iudicandum esse de libello. Non licet auctori crimini dare, quod alienum vitium est, non licet ab eo postulare, quae postea additurus erat, non obicere ei orationis vitia, quae emendaturus erat. Quodsi opusculum ducere plane Plutarcheum non possu-

1) Gesch. der Gr. Literat. II, 1^5, p. 383.

2) Cf. de tranq. an. 1 p. 464 f., de ira cohib. p. 457 e, HARTMAN, De Plut. script. et phil., p. 116.

3) o. l. p. 44.

mus, gaudendum tamen est, potestatem nobis esse factam explorandi, quomodo orta sint scripta philosophi Chaeronensis.[1])

Age, hinc profecti videamus, quid arbitrandum sit de iudiciis virorum doctorum, imprimis Wyttenbachii et Weissenbergeri, quorum alter sibi roganti: ,,Quis igitur eius est scriptor'' respondet: ,,Nescio: Plutarchum non esse scio;''[2]) alter disputatiunculam, quam habet de libello, his verbis concludit: ,,mit Plutarch jedoch hat sie (diese Schrift) nichts gemein.''[3]) Eorum argumentis refutatis addam, quae ego in medium proferenda puto ad opinionem meam defendendam.

§ 3. *De Wyttenbachii argumentis attinentibus ad materiam.*

Librum de educatione primum ex omnibus Plutarcheis libris sibi in manus incidisse WYTTENBACH narrat,[4]) nequedum se dubitare de auctoritate Plutarchi, sed assentiri HEUSINGERO, cuius editionem evolvisset, contendenti libellum sine dubio esse Plutarcheum. Postea vero, cum saepius Plutarchum legisset, ,,evenit'', ut ipsius verba afferam, ,,ut quoties ab aliis iisque germanis Plutarchi libris ad istum De Educatione accederem, toties mihi nescio quid novum ac peregrinum ab illa Plutarchea copia et gravitate diversum leve et inane, ad animum sensumque accideret.'' Quam rem ne miremur, quippe quibus apparuerit revera naturam libelli prorsus esse aliam ac plurimorum Plutarchi operum. Ne tamen in explananda diversa libri natura erremus, ob eam causam a Plutarcho eum abiudicantes, id quod fecit Wyttenbach: ,,Idque paulatim animadvertendo tale tantumque esse cognovi, ut hic libellus nullo modo a Plutarcho, sive iuvene illo sive sene, scribi potuerit, sed alium quemvis opificem habere debuerit. Sed

---

1) Quodammodo cum libro, qui est περὶ παίδων ἀγωγῆς comparandum esse libellum cui titulus περὶ εὐθυμίας apparet ex inquisitione v. d. POHLENZ (Herm. 40, 1905, 275 sqq.) ,,der als Hauptquelle ein epikureisches ὑπόμνημα betrachtet, in das Pl. aus seinen Kollektaneen Einzelheiten eingeschoben habe" (CHRIST-SCHMID, II, 1[5], p. 382[2]).

2) o. l. p. 62.

3) o. l. p. 44.

4) o. l. p. 32.

hoc non nisi ad meum mihi sensum satis erat." Tum primum argumenta indagavit, ut aliis quoque persuaderet. Nostrae vero de libello opinioni qui assensus erit, videbit argumenta Wyttenbachiana magna ex parte debilitari posse, nec alia non occurrere exploranti, quae indicent ipsius Plutarchi manum. Fortasse melius putet quis prius haec enumerare: nobis vero defensoris munere fungendum est, quod eo facilius suscipimus, quo altius perspeximus originem ac naturam libelli non eam esse, quam Wyttenbach putaverit.

Argumenta Wyttenbach dividit in externa et interna. Unum modo argumentum externum affert, cui ne ipse quidem multum tribuit, silentium dico veterum. Haud vero dubium esse puto, quin libellus non statim una cum aliis Plutarchi operibus editus sit; postea eum additum esse e scriptis, quae post auctoris mortem inventa sint, veri simile est. Ita factum est, ut din lateret. Antiquissimum eius vestigium exstare dicit Wyttenbach[1]) in Sententiis MAXIMI et ANTONII.[2]) Attamen etiam ille doctus vir iudicat librum scriptum esse Plutarchi temporibus „utpote abhorrentem ab illius magis proprietate quam aetate." Porro putat libellum certe iis voluminibus Plutarcheorum librorum, quibus SOPATER et STOBAEUS usi sint, nondum additum fuisse. A neutro enim memoratur. Hocine autem magni momenti est? Quid si memoraretur? Ea causa fuisset, cur Wyttenbach eum spurium non arbitraretur? In SOPATRI epitomis exstabant loci De Fluminibus,[3]) libri apud STOBAEUM, licet nomen Plutarchi non additum sit, legitur locus e Consolatione ad Apollonium,[4]) quorum librorum uterque spurius habetur.[5]) Cur autem Wyttenbach mentionem faciat veterum silentii, non intellego, quippe qui Consolationem illam ad Apollonium omnino non spuriam esse censeat, quamquam hoc de libro, nisi Stobaei loco, tota antiquitas silet. „Es ist daher eigentümlich" Weissen-

1) o. l. p. 34.

2) Has sententias WYTTENB. putat scriptas esse saec. X; K. KRUMBACHER, Gesch. der byz. Litt. p. 689 MAXIMUM saec. VII ANTONIUM saec. XI vixisse arbitratur.

3) Phot. Biblioth. Cod. CLXV, cf. WYTTENB. p. 35.

4) P. 103a. STOB. Flor. 3, 48.

5) Cf. WEISSENBERGER, p. 44 sqq., p. 89 sqq. CHRIST-SCHMID II, 1^5, p. 385.

berger inquit [1]), „dass Wyttenbach diese Thatsache anführt (animadv. II bd, p. 24), aber dennoch gegen die Echtheit der Schrift kein Bedenken erhebt, wie er dies bei der vorher besprochenen Schrift περὶ παίδων ἀγωγῆς aus dem gleichen Grunde gethan."

Quod in Catalogo Lampriae titulus non legitur, Wyttenbach ipse nihili ducit: „sed neque hinc in alterutram partem argumentum ducas; siquidem Catalogus ille postrema parte truncatus ad nos venit." [2])

Tum disserens de argumentis primo agit „de materia, quae deest." [3]) Vix opus est dicere, hanc Wyttenbachii paragraphum minime valere apud nos, qui quidem viderimus libellum esse epitomen e Stoicis scriptis collectam, quam in epitomen ea, quae pertinerent ad educationem, collata sint e libris, qui non data opera de hoc argumento agerent. Omnino igitur non licet, cum Wyttenbachio libellum Plutarchi comparare cum Platonis Legum libro VII, Rei publicae II, III, Xenophontis Cyropaedia et Republica Lacedaemoniorum, Aristotelis Politic. VII et VIII, Quintiliani Inst. Orat. I et II: ne poscatur ab infante, quod viri adulti est, ne desideres in libro, auctori modo destinato, quo postea uteretur adiumento, quae legas in libro limato, edito in lucem. Propterea auctori crimini dandum non est, quod non diserte memorat „tres illas institutionis puerilis partes, literas, musicam, gymnasticam." Neque inconsiderantia, neque „ignorantia moris antiqui" causa erat, cur non fusius de iis ageret. Sine dubio postea id facturus erat. Stoica vero scripta, quae adhibuit ad tractatum conscribendum, de hac tripertitione non loquebantur, quippe cum non data opera agerent de institutione, plurimum certe tribuerent philosophiae, quamquam non plane neglegi encyclias quae vocantur disciplinas eos voluisse, supra

---

1) o. l. p. 45.

2) De Catalogo Lampriae cf. Christ-Schmid II, 1^5, p. 371. Memorabile est, etiam in Catalogo operum Aristoteleorum multa collectanea deesse. Cf. Christ-Schmid I^5, p. 675 sq.

3) o. l. p. 36.

iam demonstratum est. Quapropter disertius philosophia memoratur, strictim modo de litteris ac musica sermo fit.[1])

Si liber, id quod Wyttenbach vult,[2]) chreia esset (chreiam et diatriben inter se permutasse videtur Wyttenbach,[3]) nam de libello loquitur quasi de diatribe) composita a discipulo quodam Plutarchi, tum potissimum exspectanda erat illa disciplinarum divisio, quae, ut erat vulgata[4]) ideoque bene cognita iuveni versanti in rhetorum scholis, prima se obtulisset ei, qui scripturus erat de puerorum institutione. Porro quid facilius tironi quam agere de aetatum progressu, infantia, pueritia, adolescentia, earundem terminos ac partes suis annis significare, id quod multi alii scriptores fecerant?[5]) Quid? Nonne exspectandum erat, discipulum adolescentem id facturum fuisse? Viam tritam iturum fuisse? Libelli auctor non fecit.

,,Nil dicitur'' Wyttenbach inquit, ,,utrum pueri utilius domi, an in scholis erudiantur: quod est argumentum Quintiliani Instit. Orat. I, 2; nil qua ratione puerorum ingenia dignoscantur: quod est eiusdem argumentum I, 3.'' Nos, qui inquisitione de fontibus habita didicerimus libellum perfectum non esse, talia haud desideramus; num desiderasset Wyttenbach, nisi Qunitilianus ea attigisset? Vix credo. Porro cur scriptori crimini dandum est, quod nil dicit ,,de variis ingeniis vario modo docendis ac tractandis, nil de ipsa varietate ingeniorum naturali, nil de varietate educationis ad varia vitae genera, quibus pueri destinantur, accommodanda e. q. s.?'' Fortasse haec omnia commemorata essent a Plutarcho, si librum composuisset de educatione puerorum; neque vero quaerimus in materia pulchritudinem perfectionemque aedificii.

,,Philosophorum de hoc argumento praecepta et rationes nec

---

1) p. 7c: *δεῖ τοινυν τὸν παῖδα τὸν ἐλεύθερον μηδενὸς μηδὲ τῶν ἄλλων τῶν καλουμένων ἐγκυκλίων παιδευμάτων μήτ' ἀνήκοον μήτ' ἀθέατον ἐᾶν εἶναι. κ. τ. λ.* Nonne vox q. e. *ἀνήκοος* pertinet ad musicam quoque, *ἀθέατος* ad graphicen, quam artem Wyttenb. in libello desiderat?

2) o. l. p. 63.

3) Cf. Christ-Schmid II, 1^5, p. 40 sq.

4) Cf. locos, quos ipse Wyttenb. affert p. 37 sqq.

5) Cf. locos apud Wyttenb.: Aristot. Polit. VII, 17 VIII, 1; Quint. Inst. Or. I, 1, II, 1 alib. Tel. ap. Stob. 96 p. 535; Ps.-Plat. Axioch. e.q.s.

referuntur, nec cum iudicio expenduntur", non mirum, quandoquidem totus fere liber continet praecepta rationesque unius philosophi, vel saltem quae ad unius Chrysippi auctoritatem referri posse postea ostendemus. ,,Nam quod Platonis aliquoties fit mentio, levius hoc est quam pro consuetudine ac doctrina Plutarchi." At totus liber Plutarchi doctrinae laudi est, cum ostendat scriptorem tam penitus quaesivisse in argumentum suum, ut has copiosas annotationes collegerit ex una Stoicorum philosophia. Quod omnino rerum Romanarum mentio nulla fit, affirmat nostram opinionem: praecipue e veterum Stoicorum scriptis praecepta libelli hausta sunt; si ab aequali vel discipulo Plutarchi scriptus esset, procul dubio etiam afferret exempla e rebus historiaque Romanorum petita.

Postremo Wyttenbach ait immerito deesse vel disertam admonitionem vel tacitam significationem consilii ,,loci, temporis, hominum, id est, quibus populis et regionibus, cui aetati et saeculo, cui hominum generi scripserit, praeceptaque sua destinaverit, quis ipse quo loco ac tempore fuerit," nos rursus haec non desideramus perspecta libri natura. At ne si natura libri ea esset, quam Wyttenbach putabat, ita ut profiteretur se librum esse perfectum, suo iure mentionem omnium harum rerum desideraret. Nonne facile est alios libros indicare cum aliorum auctorum tum ipsius Plutarchi in quibus frustra illa quaeras? Cur huic libro crimini des, quod in aliis ignoscas?

Wyttenbach postquam disseruit de materia quam deesse iudicet, aggreditur ad vitia, quae inesse putet materiae, quae adest.

In exordio desiderat criticus definitionem vel significationem, quid sit ἀγωγή, qui ἐλεύθεροι παῖδες, ,,quod" inquit, ,,ut conceditur iis, qui obiter nec ex instituto rem memorant, ita iis, qui de hac ipsa re singularem libellum conscribunt, concedi nequit, certe alienum est a Plutarchi diligentia." Recte haec: sed ipse Wyttenbach hoc ignovisset epitomae ad materiam colligendam factae. Praeterea vero ante oculos habeamus libello Plutarcheo dari praecepta ad vitam communem accommodata, non dari disputationem de philosophia nec commentationem in rhetorica versantem.

Patribus destinare Plutarchus in animo habebat librum, ad quem componendum hunc libellum adhibiturus erat; quibus nihil usui erant accuratae definitiones, dummodo praeciperetur, quomodo filios recte educarent. Num hoc alienum est a Plutarcho,[1]) auctore illo coniugalium praeceptorum ac praeceptorum de sanitate tuenda, multorum aliorum librorum eiusdem generis?

Vitio vertit auctori Wyttenbach, quod praecepta dare videtur ditioribus, non item pauperibus, neque ipse hoc fateri veretur. Dyroff quoque id improbat:[2]) ,,Die kläglichste Partie des Büchleins ist wohl die Entschuldigung des Verfassers gegen den Vorwurf, er vernachlässige die Erziehung der armen Kinder 8e. Stoisch ist zwar hier der Grundsatz, die rechte Bildung müsse allgemein sein, und auch die Kinder der Armen sollten an der besten Bildung teilnehmen. Aber ganz unstoisch und unreif ist die Ausrede, wer von seinen Ratschlägen aus Dürftigkeit keinen Gebrauch machen könne, solle das Schicksal (τύχη) anklagen, nicht den Verfasser." Ante oculos habendum est, quo loco haec dicat Plutarchus. Modo locutus est de iuvenum apud artis gymnasticae magistrum exercitationibus, quae eos idoneos reddant ad belli fatigationes sustinendas. Quae exercitationes constabant non parvis sumptibus, quos homines pauperes facere non poterant.[3]) Cum Plutarchus aut ipse hunc locum insereret, aut e fonte suo exscriberet, mirandum non est eum ad hos sumptus animum advertisse et, ut erat homo a vita communi non alienus, cui persuasum esset esse et divites

---

1) Cf. P. Monroe, Source Book of the History of Education. New York 1901, p. 297, ubi locutus de libello: ,,As giving, inquit, a scientific though *extremely practical* exposition of the best Grecian educational ideas and practices, this selection from Plutarch might have been classed with that from Aristotle".

2) p. 293.

3) Cf. Mahaffy, Old Greek Education, London 1881, p. 83: ,,Though this ephebic training is spoken of as universal and it seems that every Athenian lad was bound to . . . undergo his military training, there must have been many exceptions, and indeed this whole education is evidently that of the higher classes, *and unsuitable for the poor*. . . . But this points to its being a privilege, a special and much prized education, though we do not know what restrictions there were, or how the sons of poorer man, who could not afford the time and outlay avoided it." Cf. Plat. Protag. p. 326c: ,,*μάλιστα δὲ δύνανται οἱ πλουσιώτατοι, καὶ οἱ τούτων υἱεῖς πρωϊαίτατα εἰς διδασκάλων τῆς ἡλικίας ἀρξάμενοι φοιτᾶν, ὀψιαίτατα ἀπαλλάττονται.*

et pauperes, quos utrosque Deus creaverit,[1]) pauperes admonuisse, ne sibi talia praecipienti crimini darent id, quod fortunae tribuendum esset. Quae verba nec stulta neque immatura sunt, immo dicuntur ab homine, qui penitus cognoverit vitam humanam ac difficultates hominum, ideoque iis suadeat, ut fortunae iniquitatem aequo animo ferant.

Praecepta ipsa Wyttenbach non magni aestimat. „Non mala" inquit, „neque repudianda: sed tamen pervulgata, nec vel a prudenti experientiae observatione, vel ab exquisitis et interioribus literarum copiis profectae; ut nemo non unus ex multis pater familias, leviter tinctus literis, melius praeciperet." Ne si Wyttenbach his verbis rem acu quidem tetigerit, agitur res Plutarchi. Nam quamquam sine dubio maior pars libri constat *verbis* Plutarcheis, tamen maiorem *materiae* partem Stoici fontes auctori praebuerunt. Hos igitur Wyttenbach improbat. Sed harum rerum existimatio plerumque in uniuscuiusque opinione posita est. E. g. Dyroff verba Christii laudat,[2]) quae aestimationem prorsus aliam monstrent: „Aber auch Christs Widerspruch, die Schrift „enthalte viele treffliche Grundsätze und drastische Aussprüche eines erfahrenen Schulmannes" ", beruht auf richtigem Urteile,[3]) und er kann die Vorliebe der Humanistenzeit und selbst noch des vorigen Jahrhunderts für das „goldene Büchlein" zu Günsten seiner Ansicht ins Feld führen."

Nec qui ad praecepta confirmanda proferuntur auctores, aliquanti aestimat Wyttenbach, sed putat eos esse „in eadem levitate." „Ex philosophis unus est Plato, cuius sub ipsius nomine apponuntur sententiae; sed nec amplius tribus locis, nec ut philosophiae placita: magis auctoritatis et ornatus caussa." Quod non multi scriptores a Plutarcho laudantur, mirandum non est. Nam eum, fontem excerpentem, eas modo philosophorum sententias eaque historiae exempla inseruisse, quae memoria forte teneret, et veri simillimum est et, nisi fallor, ex uno loco apparet, ubi

1) Cf. Proverbia Salomonis XXII, 2.
2) P 294.
3) Gr. Litt.[1] p. 490. Christ-Schmid II[5], p. 384 haec leguntur: „sie enthält zwar treffliche Gedanken und Aussprüche eines erfahrenen Schulmannes", e. q. s.

erravit. Cap. VIII p. 6a affert Socratis responsum „ἐρωτήσαντος αὐτόν μοι δοκεῖ Γοργίου." Sed apud Platonem[1]) Polus est, qui interrogat. E memoria affert haec Socratis verba et Gorgiae, cuius nomen Platonis libro titulo est, attribuit, quae alius dixit. Sed ipse dubitat, quapropter apponit verba μοι δοκεῖ, postea locum apud ipsum Platonem inquisiturus.[2])

Quod Plato unus ex philosophis laudatur, indicare videtur Plutarchum, apud quem Platonem plurimum ex omnibus philosophis valuisse omnibus notum est. Loci, quos affert, non tam parvi sunt momenti quam Wyttenbach vult. Certe primus, quo nutricibus praecipitur, ne quaslibet fabulas pueris narrent (cap. V p. 3f), desiderari nullo modo potest: hunc locum non profluxisse e Chrysippi libro, sed a Plutarcho appositum esse, inde apparet, quod Quintilianus nullam harum narrationum mentionem facit, quamquam Chrysippum secutus satis fuse agit de officiis nutricum.

„Euripideae (sententiae) quater laudantur: quae pro Plutarchi consuetudine multo plures esse debebant." Haec Wyttenbach. At consuetudo Plutarchi non patet in libello, magna ex parte e Stoico fonte excerpto, materiam advecturo maiori libro. Accedit, quod Wyttenbach haud perspexisse videtur, qua ratione Plutarchus fontibus uti soleret.[3]) E Stoico illo fonte Dyroff censet Euripidea quae laudantur manasse, quam opinionem probat argumentis,[4]) quibus suo loco unum addam.[5])

„Caeterum quod sub finem Pythagorica symbola, quasi e sacco, effunduntur, potius inscitiam, quam doctrinam prodit." Facile intellegitur Plutarchum, cum in colligenda materia incideret in hanc dictorum collectionem, eam exscripsisse, quippe quam

1) Gorg. p. 470 e.

2) Cf. Dyroff, p. 284, n. 2.

3) Cf. Leo, Die Griech.-Röm. Biographie 1901, p. 176: „Man muss, wenn man bei der bisher üblichen Ansicht über Plutarchs eigne Quellenbenutzung verbleiben will, den seltsamsten Widerspruch in seiner Arbeitsweise finden. Ueber den einen Mann schüttet er ein Füllhorn von Citaten aus, für die andern, wie Demetrios, Eumenes, Pelopidas, Phokion, rührt er kaum eine Rolle .... Das wesentliche ist, dass Plutarch im Demetrios einen Historiker paraphrasirt, der selbst wenige oder keine Gewährsmänner citirte, im Demosthenes einen Biographen, dessen Buch den Charakter der Gelehrsamkeit trug."

4) p. 281 sqq.

5) Vide p. 83.

quoquomodo sibi usui fore censeret] in libro componendo. Libenter Plutarchum tales sententiarum ac facete dictorum collectiones exscripsisse, aliunde quoque apparet.[1]) Porro, cur Wyttenbach auctori libelli vitio dat id, quod ignoscit scriptori libelli, qui „Consolatio ad Apollonium" inscribitur? Agens enim de verborum in hac scriptiuncula allatorum abundantia: „Credo" inquit „iuvenis recens a lectione optimorum auctorum sententias inde collectas effundebat sacco, non manu spargebat."[2]) Attamen omnino non dubitat, quin illa Consolatio ab ipso Plutarcho scripta sit, licet plurimi viri docti eam non parvis adductis argumentis a Plutarcho abiudicent.[3])

Nonnulla exempla, ex historia sumpta, Wyttenbach indicat, quae „partim ab ipsa veritate, partim a ratione, qua in germanis Plutarchi libris referuntur", dissentiant. Quae vero ex his exemplis alibi quoque eadem ratione Plutarchus narret, non demonstrat, nos posthac indicabimus. Nunc autem videamus quid iudicandum sit de narrationibus, quas Wyttenbach improbat.

Illud de Themistoclis filio exemplum cap. II, p. 1d aliter esse dicit Apophthegm. p. 185d. Narratur idem exemplum Vit. Cat. Maior. p. 340b, qui locus solus comparari potest, cum Apophthegmata illa a Plutarcho scripta non videantur.[4]) Apparet non multum libelli locum discrepare ab illo et tantum quidem, quod exemplo ornare vult arrogantiam animique exultationem filiorum illustribus natorum parentibus. Eam ob causam hic filium Themistoclis idem fere dicentem facit, quod illic ipse Themistocles dicit. Alibi quoque Plutarchus patrem pro filio nominavit.[5])

Quae Stilpo fecerit dixeritque Demetrio Poliorcetae (cap. VIII, p. 5f), aliter referri demonstrat Wyttenbach aliis locis. Recte, sed ei, qui accurate inspexerit duos illos locos (de animi tranquill. p. 475c et Vit. Demetr. p. 893a), eos non minus inter se discrepare videbit, quam abhorreant a libelli loco. Quin etiam facete illud

---

1) Cf. Christ-Schmid II, 1^5, p. 396.
2) Mor. I, p. 358, cf. Weissenb., p. 48.
3) Cf. Weissenb., p. 44 sqq. Vide infra p. 79.
4) Cf. Weissenb., p. 56 sqq., Christ-Schmid II, 1^5 p. 389.
5) Cf. Busolt, Gr. Gesch. III, 1, 110; praeterea cf. Leo, p. 174_2.

Stilponis dictum tribus locis tribus modis narratur. Nulli igitur argumento sunt.

Theocriti Chii in Antigonum regem dicterium eiusque caedem diverso modo narrari cap. XIV, p. 11b, c ac Symp. Quaest. II, 1, p. 633c, concedendum est. Nonne vero inde haec discrepantia orta esse potest, quod auctor duobus fontibus usus est in exscribenda hac narratiuncula et, cum multum temporis interesset inter scribendos libros, de memoria eius exciderat iam aliter se eam narrasse? Quod factum esse, eo facilius intellegitur, cum extremam manum libro nondum imposuisset. Si recte iudicat Dyroff, qui suspicatur[1]) auctorem etiam haec exempla, ex historia petita, debere Chrysippo, illa discrepantia miranda non est. Sed ne si ab ipso quidem Plutarcho addita sint, detrectant auctoritati libelli.

„Cap. II, p. 1c Themistoclis filius DIOPHANTUS vocatur, qui est CLEOPHANTUS, cap. VII, p. 4e CRATES sententiae proditur auctor, qui est SOCRATES." Librariorum hos esse lapsus nemo non videt, itaque plurimi editores eos emendaverunt.[2]) „Librariis et ego aliquando" inquit Wyttenbach „hos errores tribuere malui quam scriptori: mutavi sententiam, homine familiarius cognito et interius perspecto." Licetne vero talia menda, quae innumerabilia occurrunt in aliorum auctorum libris, ubi omnium consensu corriguntur, utpote quae e librariorum calamo profluxerint, in hoc libello immutata relinquere, ac praeterea iis uti ad auctorem vituperandum?

Quod ait Plutarchus Epaminondam Platonis discipulum fuisse, licet hoc nusquam alibi legamus, tamen fieri potuisse per aetatem quidem ipse Wyttenbach ostendit[3]): „quippe decem fere annis Platone minor" erat Epaminondas. Si cum editione Bernardakiana

---

1) p. 282: „Und wenn wir weiter forschen, welchem Philosophen die historischen Kenntnisse wohl zu verdanken sind, so ergibt sich die Thatsache dass keine der von Ps.-Plutarchos aufgeführten historischen Persönlichkeiten über die Zeit des Chrysippos heruntergeht."; p. 285: „Die Form eines Kettenschlusses nimmt der Ausspruch des Diophantos (1c) an . . . Derartige Schlussreihen liebte Chrysippos; man sehe z. B. Stoic. rep. p. 1039c."

2) BERNARDAKIS retinet nomen Themistoclis filii q. e. Κλεόφαντος, idque, ut ait WEISSENB., p. 42: „ohne ersichtlichen Grund."

3) p. 114.

pro voce q. e. ἑκάτερος legimus ἅτερος, omnis difficultas tollitur.

Praeterea Wyttenbach improbat nonnulla „singularia dicta iudiciaque scriptoris." „Horum non pauca sunt, in quibus nec ratio nec consilium appareat, quaeque magis cum puerili negligentia ac temeritate, quam cum cogitate scribentis diligentia conveniant." Quid reprehendat in Cleophanti exemplo neque video, neque ipse ostendit. Cap. IV, p. 2f Thessali dictum ita insertum iudicat, ut nil ad rem pertineat. At nil est nisi exemplum novum, multis aliis exemplis additum, quibus illustratur auctoris opinio exercitatione et laboribus homines meliores fieri. Thessali exemplum ut non nitidum est, ita tamen pertinet ad rem.

Quod cap. VII, p. 4b, ubi dicit „bonum paedagogum debere similem esse Phoenici, Achillis paedagogo", non addit, „qualis fuerit Phoenix, quae eius in hoc munere dotes", hoc modo explicatur: aut ab ipso Plutarcho Phoenicis exemplum additum est et postea in libro, ad quem componendum materiem congerebat, distinctius de claro illo paedagogo acturus erat, aut, id quod putat Dyroff,[1]) Plutarchus Phoenicis nomen invenit apud Chrysippum, apud quem de eo plura non legebantur, aut auctor satis notum esse iudicavit, qui paedagogus Phoenix fuisset.[2])

„Mox de *magistro* dicturus ita praefatur, ut dicat hoc munus esse πάντων μέγιστον καὶ κυριώτατον τῶν εἰρημένων, ac si prae magistro, paedagogus et prior institutionis pars levis momenti sit." At nequaquam auctor paedagogum levis momenti iudicat ('πολλὴν ἐπιμέλειαν ἑκτέον ἐστὶ τῆς τούτων καταστάσεως' ita paulo supra legimus), sed magistri munus maximi momenti arbitratur. Cui aestimationi quis non assentietur? Nam magistro puer instituendus committitur, et πηγὴ καὶ ῥίζα καλοκαγαθίας τὸ νομίμου τυχεῖν παιδείας. Prae magistro paedagogum et priorem institutionis partem non levis momenti, sed minoris momenti esse auctor ait.

Ea, quae legimus cap. VII, p. 5a: Τί οὖν συμβαίνει κ.τ.λ., cur non congruant superioribus verbis aptamve sententiam non reddant, equidem non video, neque Wyttenbach demonstrat.

Quae auctor cap. VIII, p. 5c dicit de bonis: „ea esse humana,

1) p. 291.

2) Cf. Dyroff, p. 291 n. 1. Wyttenb. p. 90.

parva, nec studio digna, nobilitatem, divitias, gloriam, pulchritudinem, sanitatem, robur corporis: solam bonorum nostrorum doctrinam esse immortalem", ea Wyttenbach ait esse „Stoicum παράκουσμα, obiter fando acceptum nec intellectum." Stoicam esse sententiam libenter accipio et alii demonstraverunt. „Jenes Urteil über die μέσα" Dyroff inquit,[1]) „kann, wie schon GERCKE[2]) bemerkte, mit gleichem Rechte als Stoisch angesprochen werden,[3]) und zwar als altstoisch im Gegensatz zu Panaitios und Poseidonios, welche χορηγία (= πλοῦτος), ἰσχύς und ὑγιεία zu den Gütern rechneten." Quid vero non intellexerit auctor in exscribendis his Stoicorum sententiis, clarum non est. Duplicem esse errorem in hoc iudicio ait Wyttenbach: „primum corporis pulchritudinem, sanitatem et robur, nullo studio esse digna: deinde haec ipsa vocare humana; quasi vero omnia humana, id est ea, quae cum hominis natura coniuncta sunt, negligi debeant, aut quasi non ipsa doctrina ad res humanas referatur." At vox q. e. ἀνθρώπινος hoc loco non significat „coniunctus cum hominum natura" sed „mortalis", ut rectissime Heumannus annotat: „Homines vocantur *mortales;* ergo *humana* h. l. sunt *mortalia, caduca.*" Paulo post e contrario dicitur doctrinam solam esse ἀθάνατον, *immortalem.* Cum totum locum legeris opinione non praeiudicata, videbis auctorem contendere nolle, nulla omnino bona studio esse digna, sed bona doctrinae studio longe esse postponenda, *prae doctrina* esse parva et mortalia. Puerilem in modum Wyttenbach addit: „Nam si sola παιδεία studio est digna, quid dicamus de reliquis Educationis partibus, γενέσει, τροφῇ, ἀγωγῇ, de quibus antea cum studio praeceperat?" Quasi vero haec non sint adiumenta atque adminicula, quibus opus sit ad doctrinam consequendam, idcircoque studio digna!

Καὶ δύο τὰ πάντων ἐστὶ κυριώτατα ἐν ἀνθρωπίνῃ φύσει, νοῦς καὶ λόγος. Sic pergit Plutarchus. „Neutrum quid sit, explicatur" Wyttenbach inquit. Recte fortasse: desideratur accurata definitio. Neque vero scribebat librum: materiem congerebat auctor. „At laudatur

1) p. 256.

2) Rhein. Mus. 41, 471.

3) DIOG. LAERT. VII, 102; cf. CEBET. tab. c. 36 sqq.

rhetorice effusa ampulla." Non vidit Wyttenbach ea, quae ampulla illa contineat, prorsus eiusdem notae esse ac praecedentia. Etenim idem ordo inest. Nam ὁ λόγος dicitur esse τύχῃ μὲν ἀνάλωτος i. e. non pendet e fortuna ut πλοῦτος; συκοφαντίᾳ δ' ἀναφαίρετος, eripi non potest ut πλοῦτος et δόξα, quae res sunt instabiles; νόσῳ δ' ἀδιάφθορος, morbis obnoxius non est ut κάλλος et ὑγίεια; γήρᾳ ἀλύμαντος, senectute non aboletur ut ἰσχύς. „Et haec tamen tribuit τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, quum antea τὰ ἀνθρώπινα nullo studio digna pronunciasset." Haudquaquam dixit τὰ ἀνθρώπινα nullo studio esse digna, sed τὰ ἄλλα τῶν ἀγαθῶν esse ἀνθρώπινα neque ullo studio digna[1]). Non sunt bona humana νοῦς et λόγος, ut nobilitas, divitiae, gloria, pulchritudo, sanitas, robur; immo pertinent ad animum humanum et sempiterna sunt, ut patet ex hoc loco, ac propterea ex auctoris sententia studio prae ceteris digna.

Cap. X p. 7f: τὸ δὲ τοῖς λογισμοῖς περιεῖναι τῶν ἡδονῶν σοφοῦ, τὸ δ' ὀργῆς κατακρατεῖν ἀνδρὸς οὐ τοῦ τυχόντος ἐστί. Wyttenbach gradationem ne rhetorice quidem iustam iudicat, quippe a maiore ad minus procedentem. Sed gradatio his verbis omnino non inest. Nam quae modo laudavi cum verbis praecedentibus coniungenda sunt. Verba q. s. μήτ' ἐν ταῖς εὐπραγίαις — θηριώδεις pertinent ad verba q. s. τὸ μὲν γὰρ εὐγενῶς — οὐ τοῦ τυχόντος ἐστί, ita ut hoc modo inter se cohaereant:

τὸ δὲ μέγιστον	
μήτ' ἐν ταῖς εὐπραγίαις περιχαρεῖς,	τὸ μὲν γὰρ εὐγενῶς εὐτυχεῖν ἀνδρός,
μήτ' ἐν ταῖς συμφοραῖς περιλύπους ὑπάρχειν,	τὸ δ' ἀνεπιφθόνως ⟨ἀτυχεῖν⟩[2]) εὐηνίου ἀνθρώπου,
μήτ' ἐν ταῖς ἡδοναῖς ἐκλύτους εἶναι,	τὸ δὲ τοῖς λογισμοῖς περιεῖναι τῶν ἡδονῶν σοφοῦ,
μήτ' ἐν ταῖς ὀργαῖς ἐκπαθεῖς καὶ θηριώδεις.	τὸ δ' ὀργῆς κατακρατεῖν ἀνδρὸς οὐ τοῦ τυχόντος ἐστί.

Bina priora membra hoc quoque modo scribuntur:[3])

1) Vide p. 70.

2) *ἀτυχεῖν* addidit Olaus Hesychius (in editione libelli anno 1705 Lipsiae in lucem prodita); qui adverbio q.e. *ἀνεπιφθόνως* sensum *inculpate, citra reprehensionem* subiecit.

3) Ab Heumanno et compluribus aliis editoribus, quorum coniectura cod. Voss. 1 firmatur.

μήτ' ἐν ταῖς εὐπραγίαις περιχαρεῖς μήτ' ἐν ταῖς συμφοραῖς περιλύπους ὑπάρχειν,	τὸ μὲν γὰρ εὐγενῶς ἀτυχεῖν ἀνδρός, τὸ δ'ἀνεπιφθόνως ⟨εὐτυχεῖν⟩ εὐηνίου ἀνθρώπου,

ita ut chiastice, quemadmodum dicunt, inter se comparanda sint.

Utra lectio vera sit nec dicere ausim, nec magni momenti est ad propositum nostrum.[1]) Hoc saltem perspicuum est, quod ad gradationem verba q. s. ἀνδρός, εὐηνίου ἀνθρώπου, σοφοῦ, ἀνδρὸς οὐ τοῦ τυχόντος unius eiusdemque generis esse. Postea vero auctor procedit a minore ad maius his verbis: τελείους δ'ἀνθρώπους ἡγοῦμαι τοὺς δυναμένους κ. τ. λ.

„Deinde σοφῶν (σοφοῦ) maius est munus, maior facultas, quam *ratione vincere voluptates;* hoc enim σωφροσύνης est ut item *iram continere.*" Haec Wyttenbach. At alibi quoque (cap. XIV, p. 10c), ait Plutarchus σοφοῦ esse ira vacare. Et de virt. mor. p. 446 haec dicit: Οὔτε γὰρ ὁ σοφὸς ἐγκρατὴς ἀλλὰ σώφρων. Insuper vox q. e. σοφός ita usurpata saepius occurrit apud Stoicos.[2])

Tum criticus aggreditur perorationculam, quae concludit locum περὶ παιδείας p. 8b: Καὶ περὶ μὲν παιδείας οὐκ οἶδ'ὅτι δεῖ πλείονα λέγοντα διατρίβειν. Duplicem inscitiam his verbis inesse iudicat Wyttenbach: „primum quod multas παιδείας partes silentio praeteriit," qua de re supra iam agens[3]) ostendi hanc culpam esse fontis, qui ei plura non praeberet. Auctor autem huius fontis, cum ipse in Stoicorum scriptis plura, quae ad eruditionem pertinerent, non invenisset his vel talibus verbis locum περὶ παιδείας conclusisse videtur. „Deinde" pergit Wyttenbach „quod continuo subiungit: Sed praeter ea, quae diximus, utile immo necessarium potius est, comparare sibi veterum libros. An ergo librorum comparatio non est coniuncta cum παιδείᾳ? Si est, quare dicis, te non scire, quid amplius de παιδείᾳ dicas?" e. q. s. Nequaquam vero id

---

1) Ad locum cf. ARISTOT. Eth. Nicom. IV, 7, 1124a 12 sqq. STALLBAUM in Plat. Soph. 217d: „εὐηνίως, cum proprie de eo ponatur, qui facile habenis flectitur, metaphorice dicitur qui facilis est alteri atque commodus neque ei temere refragatur;" ad vocem q. e. ἀνδρὸς eodem modo usurpatum atque hoc loco: Ps.-PLUT. Consol. ad Apoll., p. 118f, MENAND. apud STOB. Flor. 7, 98, KOCH C. A. F. III, p. 215 fr. 771. Ceterum CHRYSIPPUM delectari participio q. e. οὐ τυχών DYROFF annotat, p. 262, n. 3.

2) Cf. DYROFF, p. 262, p. 261 n. 5.

3) Vide p. 61.

dicit auctor. Nam recte Heusinger ad locum annotat: ,,Nimirum ὅ, τι positum est pro δι' ὅ, τι, qua significatione non raro simplex τί, etiam in similibus tractationem concludendi formulis, occurrit."[1]) Cum eo igitur vertendum est: ,,Neque iam puto pluribus immorandum disputationi de recta eruditione."[2]) Unum addit auctor ad consequendam eruditionem optimum adiumentum esse, comparare sibi veterum libros. Si sine ira et studio locum inspicimus, non est, cur reprehendamus hoc additamentum, praesertim si ea, quae antecedunt, recte interpretantes, vertimus Heusingeri verbis. Praeterea librorum comparandorum hortationem Stoico fonti auctorem debere supra demonstravi.

Quae sequuntur (τὸν γὰρ — συμβέβηκεν) difficillima sunt intellectu. Sed constat inter omnes, hunc locum mutilum esse, neque Fabricio, nec Xylandro, Heumanno, Heusingero, Krebsio, Schneidero, neque demum ipsi Wyttenbachio contigit, ut veram lectionem praeberent. Tentaverunt suam quisque coniecturam et interpretationem; nemo emendationem satis manifestam in medium protulit. Nullo igitur modo Wyttenbachio licet hunc locum aggredi, nec meum esse puto defendere, quae ita a Plutarcho certo scripta non sunt, verbaque Schneideri mea facio: ,,Cuique hariolari, mihi tacere licebit."

Quod Plutarchus dicit cap. XIV p. 10f, mysteria ab antiquis sibi videri instituta esse, ut tacendi facultatem hac exercitatione collectam ad hominum arcana transferremus, falsum esse iudicat Wyttenbach et a rei natura et historiae fide alienum, ferendum fortasse in eo, qui cum pueris agat, non in philosopho e. q. s. Sed in annotationibus ipse locum Plutarchi laudat, ubi is idem fere dicit, de garrul. p. 505f: "Οθεν, οἶμαι, τοῦ μὲν λέγειν ἀνθρώπους, τοῦ δὲ σιωπᾶν θεοὺς διδασκάλους ἔχομεν, ἐν τελεταῖς καὶ μυστηρίοις σιωπὴν παραλαμβάνοντες. Etiam IAMBLICHUS[3]) opinatur mystica sacra, ut silentio assuefierent homines, inventa esse. Nonne inde patet, pluribus philosophis ita persuasum fuisse, quamquam falsum esset, nec mirandum esse etiam hoc loco eam

---

1) Cf. ISOCR. Paneg., p. 142; PLUT., de fort. Rom. p. 316 e.
2) XYLANDER iisdem fere verbis vertit.
3) Vit. Pyth. § 68.

opinionem legi? — Μυστήριον de humano arcano bene Graece dictum negat Wyttenbach: dicendum fuisse ait ἀπόῤῥητον. Sed hoc verbo si usus esset auctor, insulsa fuisset sententia, omnino comparatione sublata. Nam vox q. e. μυστηρίων pertinet ad vocem modo usurpatam μυστηριώδεις. Insuper adiectivum q. e. ἀνθρώπινος addit: ἐπὶ τὴν τῶν ἀ ν θ ρ ω π ί ν ω ν μυστηρίων πίστιν. Laudat Wyttenbach MENANDRI sententiam:[1]) μυστήριόν σου μὴ κατείπης τῷ φίλῳ: „sed et hic potuit" inquit „divinum mysterium significari." Potuit certe; sed nec necessarium nec veri simile esse et e pronomine possessivo addito apparet et e tota sententiae natura.[2]) Denique, ut appareat Plutarchum saepius hoc verbo uti, ubi sermo est de arcano humano, hos locos affero: ʽοὕτω τι βαθὺ καὶ μυστηριῶδες ἡ σιγή' (de garrul. p. 504a), ʽτῷ δ'ἀγλώσσῳ τὸ σιωπηλὸν καὶ μυστηριῶδες ἐμφαίνοντες' (ibid. p. 505f), ʽτὸ μυστηριῶδες τῆς σιωπῆς (ibid. p. 510e).

De symbolis Pythagoricis, quae iterum Wyttenbach hic reprehendit, supra iam egi.[3])

Denique caput XIX, quod est de pravis adulescentium moribus iusto matrimonio coercendis, a Wyttenbachio vituperatur, mihi tamen defendendum non est, quippe cum supra ostenderim, totum hunc locum pendere e Stoicorum scriptis.

Quae pertinentia ad materiam in medium profert argumenta WEISSENBERGER ea et perpauca sunt et omnia deprompta e Wyttenbachii disputatione; quapropter de iis verba facere necesse non habeo.

§ 4. *De argumentis, quibus quod ad materiam probatur libellum Plutarchi manu scriptum esse posse.*

Postquam superiore paragrapho pro virili parte libellum Plutarchi defendi a critices impetu materiam aggredientis, nunc locos illos in medium proferam, qui auctoritatem Plutarchi defendant, quorum magnam partem ipsius Wyttenbachii annotationibus debeo. Etenim cum maioris partis libelli materia profluxerit

1) KOCK C. A. F. III, p. 201, fr. 695.

2) Cf. HESYCH. i. v. *μύστης· τελούμενος, σιωπηλός.* Quod ad sententiam cf. KOCK C. A. F. III, p. 268 fr. 1103, 1104, 1105, p. 217, fr. 783, fr. 758.

3) Vide p. 66.

e Stoicis scriptis, hic illic tamen Plutarchum ipsum sua inseruisse et veri simile est et supra demonstrabatur. Quae disiungere ab iis, quae desumpserit auctor e fonte, quamquam in universum est difficillimum, insunt tamen nonnulla, quae, cum alibi quoque apud Plutarchum legantur, auctoris propria esse videantur. Quem consensum ita explicat Wyttenbach, ut opinetur libelli auctorem hos locos sumpsisse e Plutarchi libris. Profecto, ut ita arbitraretur, eum cogebat opinio, quam de libello habebat. Cum vero viderimus nec postea visuri non simus reprehensiones eius debilitari posse, cum porro infra demonstraturi simus orationem auctoris tam arte ad Plutarchi orationem se applicare, ut ea quoque probetur libellum Plutarchi manu scriptum esse, nunc iam nobis ponere licet horum locorum propinquitatem explicandam esse inde, quod utrique ex ipsius Plutarchi calamo profluxerint.

Versus Euripidis (Hipp. 424), quos laudat cap. II, p. 1c, apud Plutarchum leguntur De aud. poet. p. 28c.

Historia Archidami (cap. II, p. 1d) item legitur Vit. Agesilai p. 596f.

Cap. IV p. 2f καὶ γὰρ τὸ ἦθος ἔθος ἐστὶ πολυχρόνιον, καὶ τὰς ἠθικὰς ἀρετὰς ἐθικὰς ἄν τις λέγῃ, οὐκ ἄν τι πλημμελεῖν δόξειεν. Plane eandem interpretationem verbi q. e. ἦθος Plutarchus praebet De Virt. mor. p. 443c.[1])

Historia Lycurgi (cap. IV p. 3a) etiam narratur Apophth. Lacon. p. 225. Haec apophthegmata spuria esse viri docti putant, sed has narrationes plerasque sumptas esse e Plutarchi scriptis insuper alio fonte adhibito, sibi persuasum habent.[2]) Lycurgi historia duobus modis in apophthegmatis narratur, quorum alter paululum abhorret ab eo modo, quo in libello περὶ παίδων ἀγωγῆς legitur, alter plane cum eo congruit. Nonne hunc narrandi modum auctor illorum apophthegmatum invenerit apud Plutarchum sive in hoc libello, sive alibi in scripto non servato, illum ex altero fonte addiderit?

Cap V p. 3d auctor ait convictum esse quasi intentionem quandam benevolentiae; quod etiam apparere in bestiarum vita. Cuius

---

1) Quod ad sententiam cf. Leo, p. 188; Arist. Eth. Nicom. B p. 1103 a, Eth. Meg. A p. 1186a, Eth. Eud. B p. 1220a.

2) Cf. Weissenb., p. 60, Hein, p. 167; Christ-Schmid II, 1[5], p. 389.

bestiarum convictus exemplum Plutarchus praebet De sollert. anim. p. 974c.

Eodem capite p. 3e legimus: ὥσπερ γὰρ τὰ μέλη τοῦ σώματος εὐθὺς ἀπὸ γενέσεως πλάττειν τῶν τέκνων ἀναγκαῖόν ἐστιν, ἵνα ταῦτ' ὀρθὰ καὶ ἀστραβῆ φύηται, τὸν αὐτὸν τρόπον ἐξ ἀρχῆς τὰ τῶν τέκνων ἤθη ῥυθμίζειν προσήκει. Quamquam supra ostendi hanc sententiam hoc loco profluxisse e Chrysippi libro, tamen alibi Plutarchus eadem de re egit iisdem fere usus verbis. Libelli *verba* maiore ex parte auctoris esse, etiam ubi sententiae e Stoicorum libris sumptae sint, Dyroff demonstravit.[1]) Quamquam — fieri potest, ut etiam loci, quos laudaturus sum, e Stoicorum scriptis oriundi sint. Conferamus igitur De virt. mor. p. 439f: λαμβάνοντες ἐκ γάλακτος, ὥσπερ αἱ τίτθαι ταῖς χερσὶ τὸ σῶμα πλάττουσιν, οὕτως ῥυθμίζουσι τοῖς ἔθεσιν εἰς ἴχνος τι πρῶτον ἀρετῆς καθιστάντες. Amator. p. 757f. παίδων ἐν ὥρᾳ, καὶ ἄνθει πλαττομένων καὶ ῥυθμιζομένων κ. τ. λ. Vit. Num. p. 78a περὶ τί πρῶτον ἦν σπουδάσαι ἢ περὶ παίδων ἐκτροφὴν.... ὅπως.... εἰς ἕν τι κοινὸν ἀρετῆς ἴχνος εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς πλαττόμενοι καὶ τυπούμενοι συμβαίνοιεν ἀλλήλοις;

Cap. VII, p. 4d auctor dicit saepius patres liberos mandare pravis magistris, amicorum precibus indulgentes. Perinde tum faciunt, inquit, ὥσπερ ἂν εἴ τις τῷ σώματι κάμνων τὸν σὺν ἐπιστήμῃ δυνηθέντ' ἂν σῶσαι παραλιπών, φίλῳ χαριζόμενος τὸν δι' ἀπειρίαν ἀπολέσαντ' ἂν αὐτὸν προέλοιτο. Idem legimus De vitios. pud. p. 532a: καὶ γὰρ ἰατρὸν νοσοῦντες οὐ παρακαλοῦμεν τὸν ἔμπειρον, αἰσχυνόμενοι τὸν συνήθη καὶ παισὶ διδασκάλους ἀντὶ χρηστῶν, τοὺς παρακαλοῦντάς αἱρούμεθα.

Eodem capite p. 5a commemorat patres assuefacere quidem pueros, ut cibos dextra manu capiant, increpareque si laevam porrigant, sed nullam curam adhibere, ut dextros probosque sermones audiant. Simile quid eadem de re dicit De fort. p. 99d.

Cap. VIII, p. 5d ubi demonstrat res humanas mortales caducasque esse, deinceps enumerantur εὐγένεια, πλοῦτος, δόξα, κάλλος, ὑγίεια,

---

1) p. 285 sqq.

ἰσχύς. Eandem fere enumerationem Plutarchus praebet De fort. p. 99f: οὐ χρυσίον ἡ φρόνησίς ἐστιν οὐδ' ἀργύριον οὐδὲ δόξα, οὐδὲ πλοῦτος, οὐδ' ὑγίεια, οὐδ' ἰσχύς, οὐδὲ κάλλος.

Eodem capite p. 5e ait νοῦν et λόγον in hominis natura praecipua esse; quocum conferatur De fort. p. 98c: εἰ μὴ νοῦν μηδὲ λόγον ὁ ἄνθρωπος ἔσχεν, οὐδὲν ἂν διέφερε τῷ βίῳ τῶν θηρίων; De sanit. tuenda p. 124b: ἀγροίκου τινὸς ὡς ἀληθῶς ἐστιν, καὶ νοῦν οὐκ ἔχοντος οὐδὲ λόγον κ. τ. λ.[1])

Exempla Periclis et Demosthenis (cap. IX, p. 6d), quibus ornatur praeceptum orationes extemporales esse vitandas, item leguntur Praec. reip. ger. p. 803f et De sent. profect. in virt. p. 80c. Demosthenem in vitanda oratione subita et fortuita Periclem imitatum esse, ut hic, ita legitur Vit. Dem. p. 850a.

Cap. XIII, p. 9b: ἤδη δέ τινας ἐγὼ εἶδον πατέρας, οἷς τὸ λίαν φιλεῖν τοῦ μὴ φιλεῖν αἴτιον κατέστη, conferas cum Vit. Cat. Min. p. 777b: κινδυνεύει τὸ λίαν φιλεῖν, ὥς φησι Θεόφραστος, αἴτιον τοῦ μισεῖν γίνεσθαι.

Eodem capite p. 9c animus comparatur cum arcu et lyra: καὶ γὰρ τὰ τόξα καὶ τὰς λύρας ἀνίεμεν, ἵν' ἐπιτεῖναι δυνηθῶμεν. Item apud Plutarchum legimus An sit seni gerend. resp. p. 792c: τόξον μὲν γάρ, ὥς φασιν, ἐπιτεινόμενον ῥήγνυται, ψυχὴ δ' ἀνιεμένη.

Versus Hesiodi laudati p. 9e item afferuntur De profect. in virt. sent. p. 76c. Utroque loco usurpatur formula q. e. καλῶς εἴρηται.

Exempla Archytae et Platonis (p. 10d) Wyttenbach putat sumpta esse e Plutarchi libro c. t. De sera num. vind. p. 551 a, b. Ita factum non esse patet e diversa narrandi ratione, quae probat bis eadem ab eodem auctore relata esse.

Cap. XIV, p. 10f σιωπήσας μὲν οὐδεὶς μετενόησε· λαλήσαντες δὲ παμπληθεῖς. Hanc sententiam *sub nomine Plutarchi* exstare in Sententiis Maximi et Antonii p. 387, Wyttenbach annotat. *Aliis verbis* alibi quoque apud Plutarchum legitur (De sanit. tuend. p. 215d; de garrul. p. 514f). Veri simile est sententiam, quae apud Maximum et Antonium legitur, e Plutarchi libelli oriundam

---

1) Cf. Arist. Polit. η 15, p. 1334b 15.

esse, non item ex duobus illis aliis locis, id quod Wyttenbach de argumentis externis agens neglegere non debuerat.[1])

Cap. XV, p. 11d. καὶ τῇδε κἀκεῖσε μετακλίνων ὡς ἐπὶ πλάστιγγος πρὸς οὐδέτερον ῥέψαι δύναμαι. Similem comparationem praebet Plutarchus De fratr. am. p. 485e: καθάπερ πλάστιγγα ῥέπειν ἐπὶ τοὐναντίον. Complures Philonis locos[2]) Wyttenbach affert, ubi idem legitur. Fieri igitur potest, ut Plutarchus hoc loco comparationem debeat fonti Stoico.

Cap. XVIII p. 13e recte facere parentes dicit, si nonnulla peccata liberorum simulent se non animadvertere, se non vidisse quae viderint, non audisse quae audiverint. Idem praecipit Plutarchus Praec. Polit. p. 818b.

Plutarchum exemplo speculi saepius usum esse apparet e locis a Wyttenbachio allatis De amic. et anul. p. 51a, Amat. p. 765f; (Apophth. p. 172d). In hoc quoque libello adhibuit cap. XX p. 14a.

Cap. XX p. 14b: ὅπου γὰρ γέροντές εἰσιν ἀναίσχυντοι, ἐνταῦθ' ἀνάγκη καὶ νέους ἀναιδεστάτους εἶναι. Haec Platonis verba (Legg. p. 729c) saepius Plutarchus laudat: Praec. coniug. p. 144f; Quaest. rom. p. 272 c, De amic. et adul. p. 71b.

§ 5. *De Wyttenbachii argumentis ad formam attinentibus.*

Formam duplicem esse Wyttenbach ait: alteram rerum, alteram orationis. De orationis forma postea dicit, nos quoque postea dicemus.

Rerum autem formam contineri ait duabus partibus, *distributione materiae* et *argumentatione*. De distributione libelli, quam priorem vituperat, primo huius disputationis capite egimus, neque nunc necesse est iterum dicere. Sed unum hoc loco addendum videtur, satis memoria dignum. Idem ille Wyttenbach, qui tam vehementer distributionem libelli reprehendit, de distributione Consolationis

---

1) Quod ad sententiam cf. Stob., Flor. 33, 12, Bergk, P. L. G. III³, fr. 66, p. 1141; Plut. De cap. ex inimic. ut. p. 90d.

2) Phil. Iud. de posterit. Caini, edit. Mang. T. I, p. 244, de migrat. Abrah. 410e de vita Mosis 687c, 690c; item p. 305e, 472a, 487e, 502a, 636d, 874c.

ad Apollonium, quem librum a Plutarcho scriptum esse ait [1]) et hac laude ornat: ,,Est omnino egregius liber, argumento, doctrina et sententiis plane Plutarcheus,'' de eius dico libri distributione haec dicit: ,,Distributio materiae aut vaga aut nulla'' et in annotationibus ad p. 118d: ,,totus libellus'' inquit, ,,*curiosam habet compositionem.*''[2]) Cur de eo quoque libro non dicit eadem, quae de libello περὶ παίδων ἀγωγῆς: ,,Disputationis partes suo quaeque habitu et modo alienae sunt a Plutarchi consuetudine et ingenio?''

In reprehendenda argumentatione Wyttenbachio non parum auxiliatur illud ipsum, quod libellus, ut ostendisse mihi videor, non est nisi adiumentum ad librum, cui recte hoc nomen attribueretur, componendum. Quo factum est, ut multa sint, quae auctori vix crimini dari possint, quippe orta ab eius fonte, licet hic illic sine dubio Plutarchus sua addiderit, mutarit quae invenisset, memoriae causa inseruerit. In argumentationem magnam diligentiam non contulit; nam quid in hoc libello argumentatio sibi volebat? Posthac, in conscribendo libro, argumentationi studendum erat auctori, in congerenda materia non item. Haud immerito ipse erat Wyttenbach: ,,Sententiolae'' inquit ,,non sunt invenustae singulae, sed consarcinatae nullo ad conclusionem apto nexu.''

Videamus, quid in medium proferre possimus, ut libellum defendamus ab argumentis, a Wyttenbachio in paragrapho, quae est de argumentatione, allatis.

Cap. IX p. 6a Wyttenbach ait auctorem monere ,,se sanam et incorruptam παιδείαν, non panegyricas nugas commendare.'' Haec vero auctor non monet. Modo dicit δεῖν . . . τῶν . . . πανηγυρικῶν λήρων ὡς πορρωτάτω τοὺς υἱεῖς ἀπάγειν.

Deinde ,,Quae ista'' rogat Wyttenbach, ,,habenda est explicandae quaestionis ratio, ut rem universe laudes, de partibus taceas, denique unius partis, id est rhetoricae exercitationis abusum reprehendas, de eius usu et recta ratione nil dicas?'' Nonne

---

1) Hunc librum spurium esse arbitrantur BENSELER, De hiatu in oratt. Atticis p. 430—32; VOLKMANN, Comment. De consol. ad Apoll. pseudoplutarchea, Halle 1862; WEISSENBERGER o. l. p. 44.

2) Cf. WEISSENBERGER p. 49. De Consolationis ad Apoll. distributione vid. J. VAN WAGENINGEN, De Ciceronis libro Consolationis, Groningae 1916, p. 16 sqq.

postea Plutarchus locuturus fuerit de rhetorica et ceteris institutionis partibus, librum suum conscribens? Hic ea modo dixit, quae in fonte legerat. Nam haec a Stoico fonte oriunda esse Dyroff probavit.[1])

Haec quoque Wyttenbach vituperat: πρὸς δὲ τούτοις, τί ἂν τοὺς παῖδας χρηστὸν ἕτερον διδάξαιμεν, καὶ τίσιν ἀγαθοῖς ἐπιφύεσθαι παραινέσαιμεν. ,,Quid aliud est'' inquit ,,πρὸς τούτοις quam *praeterea?* Saltem dixisset ἀντὶ δὲ τούτων, *horum loco,* vel denique πρὸς ταῦτα, *adversus haec.*'' At omnino haec non dixit auctor. Optimi codices lacunam habent. Cod. Paris. A. n. 1671 verba q. s. χρηστόν—παραινέσαιμεν in margine adscripta habet. Sine dubio postea inserta sunt, neque ullo modo auctori crimini dari possunt.

Eodem capite comparatio legitur, quam Wyttenbach valde improbat. Inde a verbis μέχρι δή usque ad χαρακτῆρά φυλάττουσι sic Latine vertit: ,,Ante virilem aetatem ex tempore non est dicendum. Ubi facultas oratoria radices egerit, ea libere uti licebit. Nam quemadmodum qui diu fuerunt vincti, postmodo soluti, ob diuturnam vinculorum consuetudinem titubant, ita qui orationem multo a tempore constrictam tenuerunt, ii, etiamsi aliquando subito oporteat dicere, nihilo minus eandem dicendi formam retinent.'' Tum: ,,ista igitur'' inquit ,,comparatione voluitne commendare praeceptum an quamdam ei cautionem iniungere? Utrumvis voluerit, inepta est comparatio.'' Omnino non ineptam esse apparet, si totum locum recte interpretamur. Incipiendum est a p. 6c. Οἱ δ' αὐτοσχέδιοι τῶν λόγων auctor inquit, πολλῆς εὐχερείας καὶ ῥᾳδιουργίας εἰσὶ πλήρεις et praeterea εἰς ἀμετρίαν δεινὴν ἐκπίπτουσι καὶ πολυλογίαν, quod ne fiat σκέψις prohibet, quae rectam συμμετρίαν praebet. Quantam utilitatem σκέψις afferat, exemplis p. 6d allatis demonstratur. Non autem omnem subitam orationem improbandam esse putat. Immo, eam concedi posse 1° ὡς ἐν φαρμάκου μοίρᾳ (quid sit mox exponam), 2° adultis solum hominibus, numquam pueris (f). Nam adultis hominibus subitam orationem nocere non posse, quod ii, etiamsi aliquando subito oporteat dicere, diuturna exercitatione vitia, modo improbata, vitent, et tunc etiam dicant tamquam si orationem commentati essent (τὸν αὐτὸν τῆς ἑρμηνείας χαρακτῆρα φυλάττουσι). Comparatio, quam

1) p. 276 sqq.

auctor exhibet, explicanda igitur videtur hoc modo: siquis diu vinctus fuit, etiamsi postea solutus sit, ob diuturnam vinculorum consuetudinem titubat; eodem modo siquis nunquam nisi commentata oratione locutus est, etiamsi subito oporteat dicere, propter diuturnam commentationis consuetudinem recte dicit.[1]) Quae comparatio, quamquam haud nitida videtur, tamen nullo modo inepta dici potest. Porro memoria dignum est, Quintilianum (Inst. Orat. XI, 2, 46 sqq.) eadem fere praebere ac locum Plutarcheum. „Memoria autem facit" inquit „etiam prompti ingenii famam, *ut illa, quae dicimus, non domo attulisse sed ibi protinus sumpsisse videamur* ... Itaque in actionibus inter praecipua servandum est, *ut quaedam etiam, quae optime vinximus, velut soluta enuntiemus* et cogitantibus nonnunquam et dubitantibus similes quaerere videamur, quae attulimus ... Si vero aut memoria natura durior erit, aut non suffragabitur tempus: etiam inutile erit ad omnia verba se alligare, cum oblivio unius eorum cuiuslibet aut deformem haesitationem aut etiam silentium inducat; tutiusque multo comprehensis animo rebus ipsis *libertatem sibi eloquendi relinquere ... Sed ne hoc quidem infirmae memoriae remedium est nisi in iis, qui sibi facultatem aliquam dicendi ex tempore paraverunt.*" Hoc Quintiliani loco patet, quid sit illud φάρμακον Plutarchi. Est enim *infirmae memoriae remedium.* Veri simile videtur illud „ὡς ἐν φαρμάκου μοίρᾳ" profluxisse ex epitome quadam, quae quoquomodo congrueret cum Quintiliani loco.

P. 7b. verba q. s. βούλομαι δ' ἕως ἔτι μέμνημαι τῆς παιδείας, ὡς ἔχω δόξης περὶ αὐτῆς εἰπεῖν, ὅτι κ. τ. λ. Wyttenbach sic vertens: „Ac dum adhuc institutionis memini, volo meam de ea sententiam exponere", frigide plane et pueriliter praemitti hanc formulam contendit, praesertim cum haec verba posita sint in fine eius capitis, quod de institutione agit. Omnino recta et proba sunt, si interpungitur et vertitur ut Heusingerus facit, qui ante verbum q. e. εἰπεῖν ponit virgulam et sic vertit: „Ceterum dum, quae sit mea de institutione sententia, edissero, illud adiicio e. q. s."

In fine cap. XI, p. 8f legimus: καὶ ταῦτα μὲν δὴ τῷ λόγῳ

---

1) Quod ad significationem verbi q. e. *σφίγγειν* cf. Plut. Mor. p. 1011e; Demetr. De eloc. § 244; Dion. Hal. de vi Dem. 19 (1010).

παρεφορτισάμην, ἵν' ἐφεξῆς καὶ τἄλλα τὰ φέροντα πρὸς τὴν ὀρθὴν τῶν νέων ἀγωγὴν συνάψω, quae verba Wyttenbach eo modo vertit, quasi auctor sui defensionem, quae antecedit ,,ea de caussa'' se suscepisse dicat, ,,ut deinceps reliqua ad rectam adolescentum educationem conducentia attexere posset.'' Nihil vero est nisi formula, qua transgreditur auctor ad ea quae sequuntur.

Cap. XIII, p. 9b: Ἤδη δέ τινας ἐγὼ εἶδον πατέρας, οἷς τὸ λίαν φιλεῖν τοῦ μὴ φιλεῖν αἴτιον κατέστη· τί οὖν ἐστιν ὃ βούλομαι λέγειν, ἵνα τῷ παραδείγματι φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόγον; Wyttenbach putat exemplum postea sequi: ὥσπερ γὰρ τὰ φυτὰ e. q. s., Hartman nullum afferri exemplum ait.[1]) Cum Heusingero et Schneidero vocem τῷ sine accentu scribamus, ut sit dativus pronominis indefiniti, atque interpungamus hoc modo: τί οὖν ἐστιν ὃ βούλομαι λέγειν; ἵνα τῳ παραδείγματι φωτεινότερον ποιήσω τὸν λόγον· σπεύδοντες γάρ κ. τ. λ. Nam exemplum praebent haec σπεύδοντες γάρ κ. τ. λ., exemplum scilicet earum rerum, e quibus nimius patrum amor patefit.

De memoria puerorum exercenda parum auctorem dixisse neque ea, quae praecipiat, satis exquisite esse tractata, Wyttenbach censet, ,,ut verus Plutarchus omnino desideretur.'' Adesse verum Plutarchum neque ego censeo. Habemus modo ea, quae excerpserat e fonte. Postea sua additurus erat.

Exemplum Eurydices (cap. XX, p. 14b) alieno loco positum[2]) Wyttenbach censet, quod non ad morum disciplinam, sed ad litteras et doctrinam spectet; igitur in capite, quod περὶ παιδείας est, prodendum fuisse iudicat. At omnino non spectat ad litteras et doctrinam: affertur modo ut matris erga liberos amor illustretur; ea enim mater procurabat πάνθ' ὅσα προσῆκεν εἰς τὸν τῶν τέκνων σωφρονισμόν ac propterea probis parentibus maxime aemulanda est.

In citando Euripide valde differre Plutarchum ait Wyttenbach ab auctore libelli: ,,In Plutarcho est quaedam consuetudinis et familiaritatis facilitas, ut sententiae sponte ei et in mentem venisse et in orationem influxisse videantur: in Pseudo-Plutarcho apparet novitas, quaerentis labor et quasi vultus nitentis: huiusmodi sunt

1) J. J. HARTMAN, De Plutarcho scriptore et philosopho, Lugd. Bat. 1916, p. 12.
2) HARTMAN putat auctorem hanc Eurydicen eiusque epigramma finxisse, o. l. p. 3 sqq.

fere formulae quibus praefatur et veluti aditum sibi aperit ad sententiarum recitationem." Euripidea vero auctorem iam legisse in fonte suo, supra, Dyroffium secutus, indicavi. Quae opinio probari videtur ipsis formulis, quibus praefatur. Cap. IX p. 6b Μαρτυρεῖ, inquit, δέ μου τῷ λόγῳ καὶ Εὐριπίδης λέγων κ. τ. λ.; cap. XIV p. 10a Ἔχω δὲ μάρτυρα τούτων Εὐριπίδην κ. τ. λ.; cap. XV p. 11f Μαρτυρεῖ δὲ τούτοις Εὐριπίδης κ. τ. λ. Hanc formulam frequentissimam esse Philoni Iudaeo, ipse Wyttenbach animadvertit; e. g. p. 165a, 218c, 286b, 346c, 460b, 1032a. Nonne eam formulam manasse censeamus e Stoico fonte, quem Plutarchus adhibuit?

§ 6. *De Wyttenbachii, Weissenbergeri, Heinii argumentis quod ad orationem.*

Altera parte disputationis Wyttenbach demonstrare conatur, quantum libellus a Plutarchea proprietate abhorreat quod ad orationem. Qua in re cum etiam Weissenbergeri et Heinii disputationes versentur, me hac paragrapho de eorum quoque argumentis agere iuvabit.

Primo huiusce partis capite Wyttenbach agit de singulis verbis. „Sunt tamen complura in hoc libello verba, eaque rariora, quae non apud Plutarchum exstant." Quadraginta sex verba enumerat, quibus Plutarchum nusquam usum esse ait. Hoc autem numero, pro exiguitate libelli sane magno, ne deterreamur. Ante omnia e tabula Wyttenbachiana expungenda sunt duo verba: χαμαιτύπη (p. 5b), quod vocabulum legitur apud Plutarchum Vit. Anton. p. 920b; et verbum q. e. κιττοφορέω (ibid.) quod felici coniectura ipse Wyttenbach mutavit in οἰκοφθορέω.[1])

Tum vero imprimis hac in re ratio habenda est libelli originis. Nam sine dubio reliquias continet Stoicorum verborum supellectilis.[2]) Haec prima omnium causa est, cur tot ἅπαξ λεγόμενα in libello legantur.[3]) Digito, ut ita dicam, indicare ea verba, facile non est. Exemplo est vox q. e. ἐναποτυποῦσθαι p. 3e. Sine dubio

1) Vide supra p. 47.

2) Vide W. Schmid, Der Atticismus in seinen Hauptvertretern von Dionysius von Halikarnass bis auf den zweiten Philostratus, Stuttg. 1887—1897, IV, p. 640 sqq.

3) Cf. Dyroff, p. 286.

ea vox e Stoico fonte irrepsit in libellum, ut iam Dyroff ostendit.[1]) Huic addendum est κατασκελετεύω, quod verbum saepius legitur apud Philonem Iudaeum.[2])

Multa vocabula Plutarchum poetarum sermoni debere ait Weissenberger:[3]) „hiebei boten ihm die Dramen der attischen Tragiker reichliches Material." Conferenda vero sunt, quae Nägeli de talium vocabulorum usu dicit:[4]) „Wörter der attischen Tragödie, die der attischen Prosa unbekannt sind, aber vielleicht ausserdem bei Schriftstellern ionischer Herkunft sich finden, dürfen als ionische Wörter angesprochen werden, selbst wenn sie später z. B. in der neuen Komödie vorhanden sind. Auffallen mag, dass manche solcher Wörter, die wir in vorhellenistischer Zeit nur in Werken der Poesie nachweisen können, *in der* Κοινή *nicht nur die Prosaliteratur*, sondern mit Vorliebe auch den Wortschatz der Inschriften und Papyri, der LXX und des N. T. bevölkern." Veri simile videtur etiam apud Plutarchum multa verba occurrere, quae non poetarum sermo, sed κοινή quae dicitur διάλεκτος ei praebuit. Utut haec res se habet, ex iis vocabulis, quae Wyttenbach enumerat, apud tragicos quoque leguntur ἀθυροστομία[5]) p. 11c, πωλοδαμνέω[6]) p. 2e, 13f, βουκολέω[7]) p. 13e; apud comicos, quos item Plutarchum secutum esse Weissenberger ait, ὀμφακίας[8]) p. 11e; apud Homerum, quem imitari valde amat Plutarchus, illud τελέσφορος[9]) p. 2e.

Ceterum copiam verborum in libello adhibitorum Plutarchum indicare, postea ostendam.

Secundo capite Wyttenbach de verborum nominumque significatione, compositione, formulis, dictionibus agit. Censet multa

---

1) p. 264 n. 1.
2) De nob. II, p. 438; de nomin. mut., p. 1049c.
3) o. l., p. 13.
4) Th. Nägeli, Der Wortschatz des Apostels Paulus, 1905, p. 24.
5) Cf. Soph. Philoct. 187, Eurip. Orest. 901.
6) Soph. Ai. 549; Eurip. Rhes. 187, 624.
7) Aesch. Agam. 655, Eum. 78; Menandr. Sam. 251.
8) Aristoph. Acharn. 351; cf. Epich. fr. 163.
9) Hom. Odyss. I, 32, passim.

cum prava et minus proba, tum a Plutarchi stilo aliena in libello reperiri.[1])

Vituperat verbum q. e. φρύαγμα p. 1c, quod arripuisse scriptorem dicit ut sonantius et ornatius pro simplici illo φρόνημα quod Plato, quem imitari hoc loco videatur, aliique frequentent. Sane Plato saepius voce q. e. φρόνημα utitur;[2]) sed apud Plutarchum φρύαγμα quoque invenimus et propria significatione et tralata dictum; propria Conviv. Sap. p. 150a; Amat. p. 754a; tralata ibid. p. 754c; verbum φρυάττεσθαι proprie Vit. Lyc. p. 53d, tralate Polit. praec. p. 184c. Ecquae causa est, cur hoc verbum hoc loco adhibitum reprehendamus?

Archidamum auctor ait (p. 1d) uxorem duxisse μικρὰν τὸ μέγεθος: „nusquam dixit Plutarchus, Herodoteum est" Wyttenbach annotat. „Plutarchus Vit. Ages. p. 596f dixit μικράν de hac ipsa." Neque vero apud unum Herodotum legitur haec locutio, nam apud complures alios scriptores invenitur, neque alicuius momenti est alibi apud Plutarchum eam non occurrere. Nam sine dubio auctor hoc loco narratiunculam refert, quam undecunque e suis narrationum dictorumque collectionibus inseruit.[3])

P. 2f repetitio eiusdem formulae καὶ τί δεῖ τἄλλα θαυμάζειν, ὅπου κ. τ. λ. et mox καὶ τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν, quam „e perverso elegantiarum studio" profectam esse Wyttenbach vult, ignoscenda est auctori, cum non agatur de libro ab eo perfecto, deinde cum Plutarchus talibus formulis saepius utatur, id quod mox ostendam.

P. 3a πρὸς ἀρετῆς κύησιν Wyttenbach ineptum censet, „ut doctius exquisitiusque susceptum pro simplici πρὸς ἀρετῆς κτῆσιν: nisi forte ita scripsit auctor.[4]) At sine dubio ita scripsit: conferas hunc locum p. 3a: μεγάλη τοι ῥ ο π ὴ π ρ ὸ ς ἀ ρ ε τ ῆ ς κ ύ η σ ι ν (κτῆσιν) cum p. 12d: καὶ γὰρ ταῦτα π ρ ὸ ς ἀ ρ ε τ ῆ ς κ τ ῆ σ ι ν συμβάλλεται ῥ ο π ὴ ν οὐκ ἐλαχίστην.

---

1) Cf. vero CHRIST.-SCHMID II, 1^5, p. 402: „Sein (Plutarchi) Wortvorrat ist von attischer Reinheit weit entfernt, vielmehr von einer Buntscheckigkeit, in der man die Niederschläge seiner nach Entstehungszeit und Stil weit auseinanderliegenden Stoffquellen erkennt."

2) Rep. III, p. 442d, VI, p. 473c, alibi.

3) Cf. CHRIST-SCHMID II, 1^5, p. 389.

4) Cf. DYROFF, p. 252, n. 6.

P. 5d ὁ πολὺς πλοῦτος σκοπὸς ἔκκειται τοῖς βουλομένοις βαλλάντια τοξεύειν. Wyttenbach malebat βαλλαντιοτομεῖν. Recte tamen in annotationibus ipse dicit: ,,Scriptor noster, ut sibi in tralatione scopi constaret, τοξεύειν scripsisse videtur;" addit sane ,,quam eleganter non disputamus"; sed aliud alii placet. Memoria dignum videtur Philonem Iudaeum eadem similitudine uti: De confusione ling. p. 327a: πλοῦτον γὰρ ἢ δόξαν ἕκαστος αὐτῶν σκοπὸν προτεθειμένος, ἐπὶ τοῦτον ὥσπερ βέλη, τὰς τοῦ βίου πράξεις ἀπάσας ἀφιεὶς κ. τ. λ.

P. 9c καὶ διὰ τοῦτο οὐ μόνον ἐγρήγορσις, ἀλλὰ καὶ ὕπνος εὑρέθη. Wyttenbach improbat illus εὑρέθη. ,,An ergo somnus et vigiliae aliquando inventa sunt, antea ignota fuerunt?" Nonne ea a natura inventa esse auctor dicit? Insuper Dyroff hunc locum plane Chrysippeum esse iudicat,[1]) quod si recte facit, vituperandus utique non est scriptor libelli, sed eius fons.

Denique Wyttenbach offenditur verbo q. e. συμπεριλαβεῖν, quod verbum legimus in epilogo. Probam eius significationem esse dicit *una complecti, simul comprehendere,* non esse, quae hoc loco postuletur (*monita*) *facto explere, exsequi.* Nullo modo vero haec significatio postulatur. Immo hic sensus inest: *omnia una considerare cum animo, omnia animo percipere.* Cf. Demosth. p. 1410, 16 περιλαβεῖν πάντα, ἐφ' οἷς ἄν τις νοῦν ἔχων φιλοτιμηθείη, Plut. Vit. Anton. p. 927f περιλαβεῖν τὴν Αἰγυπτίων διάλεκτον.

Postremo disputationis capite Wyttenbach tractat orationis habitum et compositionem. ,,Plutarchi oratio" inquit ,,constat fere enuntiationibus longioribus ductis continuatisque minorum enuntiationum, tanquam partium, comprehensione. At in hoc libello plane est diversa compositio: enuntiationes plerumque breves et concisae e. q. s." Haud recte Wyttenbach de Plutarchi oratione iudicat. ,,Einzige Norm des richtigen Ausdrucks ist ihm Einfachkeit und Verständlichkeit: das sei das wahre Attischreden" e.q.s.[2])

---

1) p. 257, n. 2.

2) Christ-Schmid II, 1^5, p. 402. De Plutarchi oratione vide Norden, Antike Kunstprosa I, 392 sqq., p. 395: ,,weil er (Cassius Dio), wie auch Gercke bemerkt, es noch in viel geringerem Masse als Plutarch verstanden hat, die Stildifferenzen seiner verschiedenartigen Quellen auszugleichen." Cf. praeterea Bernard. Praef. p. LV sqq.

Acriter ideo restitit rhetoribus, qui dicuntur Asianis.[1]) Neque igitur huic libello, in quo scribendo praeterea probae orationi non studuit, enuntiationes breves et concisae vitio tribuendae sunt.

Nonnulla fluxisse e rhetorum consuetudine Wyttenbach affirmat. P. 1d ὧν ἂν τὴν ἀρχὴν τῆς σπορᾶς οἱ πατέρες ἐν μέθῃ ποιησάμενοι τύχωσιν, breviter dici potuisse ait his verbis: οὓς ἂν οἱ πατέρες ἐν μέθῃ γεννήσωσι vel σπείρωσι. Haudquaquam vero idem his verbis dicitur. Contaminationem quandam loco inesse puto: recte auctor voce q. e. ἀρχή utitur in elocutione, cuius subiectum ipsi sint pueri: ,,qui inde a prima origine e.q.s.'' Sane ea, quae praemittuntur narrationi de Lycurgo: p. 3a ἑνὶ δὲ περὶ τούτων παραδείγματι χρησάμενος, ἀπαλλάξομαι τοῦ ἔτι περὶ αὐτῶν μηκύνειν rhetoricam redolent. Utrum autem haec auctori crimini danda sint, an vitium sint fontis eius, an indicent iuvenili aetate a Plutarcho scriptum esse libellum, cum rhetorica multum apud eum valeret,[2]) haud dici potest.

P. 3b de duobus canibus a Lycurgo in contionem productis, ὁ μὲν ἐπὶ τὸν λαγωὸν ᾖξεν, ὁ δ' ἐπὶ τὴν λοπάδα ὥρμησε. Nullam fere differentiam esse inter verba ᾖξεν et ὥρμησε ait Wyttenbach; potuisse igitur omitti ὥρμησε. Quid autem si non omisit Plutarchus? Nonne item res se habet in exemplo a Wyttenbachio allato his verbis: ,,Nil tale in vero, saltem veriore Plutarcho eandem rem narrante in Apophth. Lacon. p. 225f: ἐπὶ τὰ συνήθη δὲ ἑκατέρου ὁρμήσαντος, καὶ θατέρου τὸν λαγὼν χειρωσαμένου'' ? Aut ultima haec verba καὶ θατέρου e.q.s. omittere debebat auctor, aut post verbum q. e. ὁρμήσαντος inserere debebat, quid alter canis faceret. Quid enim commemorat auctor alterum canem leporem prehendisse, non commemorat alterum ligurrisse cibos positos in patina? Si alteruter locus vituperandus est, hic vituperetur, ille non item.

P. 2b ἡ μὲν γὰρ φύσις ἄνευ μαθήσεως τυφλόν κ. τ. λ. Haec me defendere necesse non est, cum, si quid his verbis insit reprehensione dignum, utique Plutarchus culpa vacet. Nam totum huius IV capitis initium, usque ad p. 2d, plane Stoicum esse, et Dyroff ostendit et ego aliis prolatis argumentis supra probavi.[3])

---

1) Norden, p. 380.
2) Cf. Weissenberger, p. 43.
3) Cf. Dyroff, p. 250 sqq, p. 201 sqq.

P. 4d Ζεῦ καὶ θεοὶ πάντες. Exclamationem Wyttenbach iudicat a Plutarchi ingenio alienam, cui iudicio Weissenberger assentitur. Sed ipse Weissenberger dicit[1]): ,,Ungemein häufig erscheinen in emphatischer oder ironischer Rede die Interjektionen, besonders die stereotype Formen ὦ πρὸς m. Gen." e.q.s. ,,oder andere Wendungen, wie ὦ φίλαι χάριτες M. 710d, ὦ Ἡράκλεις etc." Nonne haec exclamatio in eo numero ponenda est?

Tractationem rectae institutionis (p. 5c) et laudationem philosophiae (p. 7d) Wyttenbach improbat. Sed ad haec referenda sunt, quae dixi p. 61.

P. 8b. Οὕτως ἐπολιτεύσατο Περικλῆς, οὕτως Ἀρχύτας ὁ Ταραντῖνος, οὕτω Δίων ὁ Συρακόσιος, οὕτως Ἐπαμεινώνδας ὁ Θηβαῖος. ,,Haec est oratio rhetorissantis" Wyttenbach inquit, ,,non philosophantis, nec certe Plutarchi." Neque ego dico haec a Plutarcho dicta esse: totum fere illud caput X Stoica praebet, ut supra ostendi,[2]) nec verisimile non est haec quoque exempla Chrysippi esse, quem quidem hoc de argumento scripsisse constat.[3])

Admonitionum, quas praebet auctor p. 13a, e, brevitas ipse Wyttenbach ait fieri posse ut cui videatur ,,Stoici, maxime Epictetei characteris esse," quamquam addit ,,sane si brevitas sponte nata appareret." Num mirandum sit, si revera hae admonitiones, quas legimus in libello scatente Stoicis praeceptis, e Stoicorum scriptis profluxerint?

Priusquam ostendam libellum et quod ad singulorum verborum usum et ad orationem Plutarchi manum indicare, pauca mihi in medium proferenda sunt de argumentis, quae praeter Wyttenbachiana, WEISSENBERGER et HEIN[4]) afferunt. Ac primum quidem Weissenbergeri argumenta[5]) referamus.

,,Die Form der disjunktiven Konjunktion ἤτοι — ἤ M. 1d findet sich bei Plutarch nie; nur in einer gleichfalls unechten Schrift Consol. ad Apoll. M. 107d erscheint sie." E verbis antecedentibus

1) o. l. p. 11.
2) Cf. supra, p. 50 sqq.
3) Cf. supra, p. 53 sq.
4) A. HEIN, De optativi apud Plutarchum usu, Trebnitziae 1914, p. 162, 163.
5) o. l. p. 42, 43.

ὅπερ οὐδὲ τοῖς πρὸ ἡμῶν παρεωρᾶτο veri simillimum esse apparet, auctorem hic sententias alienas praebere. Fieri igitur potest, ut huius particulae usus profluxerit ab alio auctore. Eodem modo fortasse intellegi potest articulus sensu demonstrativo adhibitus p. 2c τῶν ὅσοι τετυχήκασιν, quem articuli usum nisi in libello spurio (de fato p. 573a) occurrere Weissenberger negat,[1]) nisi forte hoc loco legendum est κἄλλων ὅσοι τετυχήκασιν pro verbis, q. s. καὶ τῶν ὅσοι κ. τ. λ.

„Der Optativ in einem Koncessivsatze mit κἄν, wie M. 5a, 6f κἂν προτείνειε τὴν χεῖρα, κἂν λυθεῖεν ist unplutarchisch;" cf. p. 35: „in beiden Fällen korrigiert Bernardakis κἂν εἰ, wie mir scheint, ohne Berechtigung." Rectissime vero Bernardakis correxit Hercherum secutus, nempe alibi quoque semper vox q. e. εἰ addita est: cf. p. 6f κἂν εἴ ποτε δεήσειεν; p. 2d οὐδ' ἂν εἴ τι γένοιτο.

„Die Häufung des Dualis M. 8a δυεῖν ὄντοιν μεγίστοιν ἀγαθοῖν spricht völlig gegen Plut., da dieser Casus überhaupt nur 20 mal bei Plut. erscheint." Plutarchi autem non esse haec veri simile est, cum totum fere caput X Stoica praebere videatur. Quapropter Dyroff dicit: „Die Häufung des Dualis könnte Chrysippeisch sein, da der Stoiker δυεῖν gebraucht."[2])

„M. 11d τῇδε κἀκεῖσε hat Plut. nie, dafür findet sich immer ἐκεῖσε κἀκεῖσε, z. B. Dem. 27, 21." Hoc loco auctor hac voce usus est hiatus vitandi causa. Antecedit enim vocabulum q. e. καί, ita ut nullo modo ἐκεῖσε scribere potuisset, nam neque crasin adhibere ei licebat, qua cum usus esset, scripsisset κἀκεῖσε κἀκεῖσε. Plutarchum saepe verba mutasse, ut hiatum evitaret constat;[3]) in hoc quoque libello id factum esse infra demonstrabo.

„Die demosthenische Form φανήσομαι mit Particip. M. 10d φανήσονται πεποιηκότες gebraucht Plut. nicht, sondern stets das Medium φανεῖται etc. mit Infinitiv." Forma, q. e. φανήσομαι licet vulgo Plutarchus non utatur, tamen verbum φαίνεσθαι coniungit cum participio, e. g. An sit seni ger. resp. p. 807e: οἱ μὲν ἐφάνησαν συνεωνημένοι. Hiatus vitandi causa participium pro infinitivo, q. e. πεποιηκέναι posuisse videtur.

1) Cf. Dyroff, p. 274.

2) p. 286, cf. p. 253. Hartman dicit pro ὄντοιν legendum esse τοῖν, et abiicienda verbum ὑπολαμβάνειν et virgulam post γαληνοῦ censet. o. l. p. 10.

3) Cf. Weissenb., p. 19 sqq., Bernard. in praef. edit., p. LXI sqq.

,,Nirgends finden sich bei Plut. Ausdrücke wie 1f ἐχόμενον δ' ἂν εἴη τούτων εἰπεῖν; 3c περὶ δὲ τροφῆς ἐχόμενον ἂν εἴη λέγειν." Has formulas facile exspectes in libello, qui quasi adumbratio est ipsi auctori destinata. Porro Weissenberger improbat ,,6b μαρτυρεῖ μου τῷ λόγῳ, 8f ταῦτα μὲν δὴ τῷ λόγῳ παρεφορτισάμην", de quibus formulis supra iam dixi, ,,6d ὡς ἡμῖν ἀκούειν παραδέδοται", quam formulam laudatam esse (e Demosthene) recte Bernardakis indicavit; ,,12f ἀνακάμψω τὸν λόγον," quae in libello eius generis, post allata Pythogorica symbola non immerito dicta sunt.

,,Plut. gebraucht für den Dichter κατ'ἐξοχήν, für Homer, häufig den Ausdruck ὁ ποιητής, in unserer Schrift dagegen steht er auch für Euripides, aus dem der Vers (M. 1b) genommen ist." At non legitur ὁ ποιητής i. e. poeta ille, articulo emphatice adhibito, sed ὁ ποιητὴς ὅς φησιν κ. τ. λ.: poeta, qui dicit sqq.[1])

Quae Weissenberger praeterea affert, haud multum differunt a Wyttenbachii argumentis. Ad ea igitur referenda sunt, quae supra dixi. Hoc modo addo, etiam Dyroffio videri, Weissenbergerum de libello nimis violenter iudicasse.[2])

Denique pauca disseram de argumentis, quae Hein in medium protulit. Numerum optativorum in libello usurpatorum indicare putat, eum a Plutarcho scriptum non esse, cui vero argumento ipse Heinius non multum attribuit.[3]) ,,Invenimus in summa 42 optativos, ita ut haec ratio inter numerum paginarum (31 Bern. = 22, 6 pag. Sint.) et optativorum conspiciatur:

num. pag.: num. opt. = 22:42 = 100:186,[4])

quae ratio in nullo alio Plutarchi libro cognoscitur." Revera hoc argumentum minimi momenti esse, inde apparet, quod e. g. Heinius libellum Plutarcheum, qui inscribitur ,,Convivium septem sapientium," qui libellus hanc rationem praebet

num. pag.: num. opt. = 100:172,

plane genuinum esse iudicat.

Cetera Heinii argumenta in ius vocemus.

---

1) Cf. insuper Dyroff, p. 281 n. 3.
2) p. 293 n. 1.
3) o. l. p. 162.
4) Pro numero q. e. 186 scribendum videtur ± 191.

„M. 6b formam διώξαιεν legimus, quae a Plutarcho prorsus aliena est, cum hic in tertia persona pluralis aoristi primi activi semper terminatione Aeolica -ειαν utatur." Recte haec: hoc vero loco non legendum est διώξαιεν, immo cum compluribus codicibus διώκοντες.[1]) Quod participium post optativum ποιήσαιντο facile a librario quodam mutatum esse posse in διώξαιεν, nemo negabit. Itaque necesse non est cum Herchero mutare formam in διώξειαν, quamquam haec quoque mutatio aliquam probabilitatem prae se fert.

„Sententiae enuntiativae omnes fere e particula ὅτι pendent, aliter atque apud Plutarchum, qui ὡς particulam paulo saepius quam ὅτι usurpat." Alibi ipse Heinius demonstrat Plutarchum particula ὡς frequentius uti, ut hiatum evitet: „neque est quod miremur", inquit[2]) „cum particula ὡς et ante vocalem et ante consonantem, ὅτι autem — iis locis exceptis, quibus hiatus admissus est — ante consonantem tantum inveniatur." Memoria autem dignum est, quamquam in libello hiatus occurrit quidem, — sed etiam vitatur, ut postea ostendam, — ubicumque in sententiis enuntiativis particula ὡς adhibetur, litteram vocalem sequi, post particulam ὅτι saepissime consonantem legi. Quodsi sic se habet res in libello, qui omnino non destinatus erat, ut publici iuris fieret, nonne manum indicat eius, qui hiatum evitare soleret? Quod ad particulam ὅτι tam saepe usitatam, ne fugiat nos multa aliena libello inesse, quae strictim modo idque inconsulto Plutarchi manu mutata ac ficta sunt.

„In enuntiatis finalibus scriptorem ἵνα particula una fere uti videmus, quae apud Plutarchum multo rarius quam ὅπως et ὡς legitur." Concedo Heinio, sed, ut modo dixi, scatet libellus alienis, praesertim Stoicis, sententiis, nec nullius momenti esse videtur, quod e. g. apud Epictetum particula q. e. ἵνα usitatissima est.[3])

„Denique in hoc libello particulam consecutivam ὥστε nunquam cum infinitivo, sed semper cum indicativo coniungi animadverten-

---

1) Cf. GOTTFRIED BEHR, Die handschriftliche Grundlage der im Corpus der Plutarchischen Moralia überlieferten Schrift περὶ παίδων ἀγωγῆς, Freising, 1911, p.p. 26, 77.

2) p. 84.

3) Cf. HEIN, p. 107.

dum est." Recte, sed bis tantum ὥστε in libello legitur (p. 4f, 12c), ita ut vix huius particulae usu argumentum satis firmum niti posse videatur. Licet particula ὡς pro ὥστε c. inf. coniuncta quater utatur auctor, qui numerus ut in Plutarcho paulo maior esse videtur, ita tamen ubique particula legitur sequente infinitivo, id quod cum Plutarchi scribendi ratione congruit.[1])

§ 7. *De argumentis, quibus quod ad orationem probatur libellum Plutarchi manu esse scriptum.*

Quaerenti quatenus sermo libelli quod ad verborum usum grammaticamve Plutarchi stilum indicet, ante oculos habendum est auctorem maiore ex parte sententias alienas promere, quas hic illic suis verbis reddidit, alibi omnino non mutavit. Idcirco eo magis miremur libelli orationem tam multa Plutarchea praebere.

Primum videamus de verborum usu. Nonnulla elegi, quae sive quod ad sententiam, seu quod ad usum memoria digna viderentur.

P. 3c ἔνδοθεν] eodem sensu legitur apud Plut. M. p. 62c, 477a, 1000b, Vit. p. 953a.

P. 4a συναναχρωννύμενοι] cf. M. p. 89d, 975f, Vit. p. 799f.

Ibid. παλιμβόλοις] apud Plut. M. p. 595a, Vit. p. 198b, 423b, 555d.

P. 4b φέροντες ὑποβάλλουσι] ad haec Wyttenb. annotat: „Elegantem usum participii φέροντες non sine animadversione praetermisit Heusingerus. Sic mox in hoc libello p. 5d. Plutarchi in hoc genere loci sunt M. p. 168d, 238c, 983d, Vit. p. 124a, 522e, 573c, 633b, 652a, 741c, 751f, 914f, 1031b, 1056a, 1061d."

P. 5d περιμάχητον] cf. Vit. p. 802f, 1033f, 1034c.

P. 6a πανηγυρικῶν] significatione tralata in malam partem apud Plut. M. p. 29c, 42a, 63c, 71a, 79b, 80e, 142b, 393b, 663b 777e, 989e, Vit. p. 495c, 496a, 525c.

P. 7c πρεσβεύειν] eadem significatione, q. e. „principe et, veluti antiquissimo loco quid colere," M. p. 228c, Vit. p. 493e.

Ibid. ἀνήκοον ac paulo post ὡσπερεὶ γεύματος ἕνεκεν] cf. M. p. 36, d, e.

P. 7e συλλήβδην] cf. M. p. 793c, 816c, Vit. p. 476b, 634c, 1056a.

---

1) WEISSENB., p. 33; HEIN, p. 64.

P. 8a ἀκύμονος sc. βίου] item M. p. 465a. Vit. p. 1057d, cf. M. p. 602c.[1])

P. 9c ἐνδείᾳ καὶ πληρώσει] saepe iungi Wyttenb. adnotavit: M. p. 128a, 134b, 686e, 732d.

P. 10c σφαδάζοντας[2])] verbum exquisitum Wyttenb. iudicat. Apud Plut. legitur M. p. 522c, 550c, 1100a, Vit. p. 359b, 616b, 728c, 951d.

Ibid. ἐξέφερε] eodem sensu M. p. 685c, cf. p. 402c, 1115c, 1124 b, Vit. p. 523c, f. 853a.

P. 10f κατέδειξαν] de hoc vocabulo Wyttenb.: ,,notandum est'', inquit, ,,elegans hoc usu verbum καταδεικνύναι, quo dicitur de inventione artium, institutione religionis et sacrorum, ut item Latinum *ostendere*.'' Cf. M. p. 1141a, Vit. p. 553f, 631c.

P. 11b προφέρων] ,,*exprobrans* frequens est Plutarcho: M. p. 271c, 124d, 1080d, Vit. p. 783b, 784 f, 943a, 984a'' (Wyttenb.).

P. 11e αὐθεκάστους] M. p. 57e, 529e, 823a, 826f, Vit. p. 233e, 339e, 445c.

P. 13a ἐκτραχηλίζον] M. p. 58f, Vit. p. 998e.

Ibid. προρρίζους] Vit. p. 418e.

Ibid. ἐκτρίβουσι] eodem sensu Vit. p. 312a, 468a, 595b.

P. 13b. σεσηρότες] ,,habet elegantem tralationem a rictu canino ad ridendi significationem ductam.'' M. p. 139f, 223c.

P. 13c παρατρέφονται] eodem sensu M. p. 830b, 980d, Vit. p. 261 b, 1013a, 1025b.

Multa vocabula componere Plutarchum ait Weissenberger additis verbis praefixis δύς, μῖσος, φίλος e.q.s.[3]) Talia vocabula legimus in libello haec: p. 1b δυσγένεια, 1d φίλοινος, 4f φιλαργυρία, μισοτεκνία (13e), 5c ἀξιοσπούδαστος, 5e ἀξιομνημόνευτος, 6b φιλήδονος, 10a φιλοπροσήγορος, ἀξιομίσητος, 10d δυσμίμητος, 12c φιληδονία,

1) Cf. v. Herwerden, Lexic. Graec. et suppl. Lugd. Bat. I, 1910, i.v. ,,*ἀκύμονα καὶ μακάριον βίον* pro *ἀμύμονα* Plut. Num. 20 extr. correxit Wyttenbach.''

2) v. Herw.: *σφαδᾴζειν* ubique scribendum pro *σφαδάζειν*.

3) p. 12. Non autem unum Plutarchum id fecisse apparet ex iis, quae Nägeli hac de re dicit: o. l. p. 87: ,,Wenn uns in den Past. (Pauli apostoli sc.) eine Vorliebe für Composita wie *ἀναζωπυρεῖν* . . . etc., *besonders für Zusammensetzungen* mit *φίλος* . . . sowie mit *ἀ* privat. . . begegnet, so spricht hier allerdings eine besondere Neigung des Verfassers mit, aber diese Wortbildungen sind in der Regel wohl gar nicht so weit hergeholt, sondern gehören, wie uns die Inschriften und Papyri zeigen, der gewöhnlichen Umgangssprache an.''

13a φιλεργεῖν, 13e δυσμενής, δυσκατάλλακτος, δύσκωφος, 13f δυσήκοος, 14b φιλοτεχνία.

Inter verba, quae primum Plutarchum in prosam orationem recepisse ait Weissenberger, affert[1]) σύζυγος, quod vocabulum legimus p. 10d, 11a. Inter haec verba illud βαρύθυμος p. 13e quoque videtur esse, quod saepius apud tragicos occurrit.

Hae locutiones commemoratione dignae sunt:

P. 1d τοῖς πρὸ ἡμῶν] eodem modo Plut. M. p. 62f, 1143e.

Ibid. τὸ ποῖον;] huiusmodi interrogationes Plut. M. p. 789c, 952d, 1010c, 1110e, 1111d.

P. 3e ὡς ἔνι μάλιστα] ,,diese Struktur liebt Plutarch sehr; z. B. M. 140d, 976f, 1116d, Rom. 23, 15, Marc. 3, 22, Ages. 16, 25" (Weissenb. p. 8).

Ibid. πλάττειν .... τὰ ἤθη] ,,Et Plutarcho frequens est dictio πλάττειν τὸ ἦθος vel τὴν ψυχήν" (Wyttenb.) M. p. 28e, 83d, 439f, 443 b, c, 757f, 789e, 988b, Vit. p. 78a.

P. 4a οὐκ ἀπὸ τρόπου] M. p. 636e, 671 f, 738c, Vit. p. 411f, 481c, 493d, 734e, cf. Weissenb. p. 10.

P. 4b τὸ μέγιστον καὶ κυριώτατον] M. p. 99d.

P. 6e ἐκ τοῦ παρατυχόντος] M. p. 154a, 634d.

P. 11e ἕτερος γίνομαι] eodem sensu Vit. p. 295e.

P. 12a τὴν τῶν μειρακίων ὁρμὴν ἄφετον εἴασαν νέμεσθαι] ,,Solet Plutarchus iungere ἄφετος cum vocabulis pastum significantibus" (Wyttenb.) Vit. p. 339a, 445a, 507e, 821b.

Compositionem grammaticam sermonis Plutarchei Weissenberger in disputatione exposuit pp. 20—37. Legibus ab eo constitutis comparatis cum libelli sermone haec invenimus:

Quod ad nominum verborumque flexionem et adverbiorum usum: Weissenberger, p. 21: ,,Abweichend vom attischen Sprachgebrauche sind die Komparationsformen: βράδιον (v. βραδύς) τάχιον (v. ταχύς)." — In libello p. 9b τάχιον.

Ibid.: ,,Nicht selten wendet Plutarch nach atticistischer Manier eine Umschreibung des Superlativs mit μάλιστα an." — p. 3d ὡς ἔνι μάλιστα σπουδαίας.

1) p. 12. Sed fallitur Weissenb.: vocabulum iam legitur apud Arist. (cf. ind. Bonitz i. v.) et in Pauli apostoli ep. ad Philipp. 4,3.

P. 22: ,,Der Manier der Atticisten folgend gebraucht Plutarch bei den Verben auf -υμι fast durchgehends die Ausgänge auf -ύω." — p. 3b ἐπεδείκνυεν, 4a ἀποδεικνύουσι, 4c παραπηγνύουσι.[1])

Ibid.: ,,Wie schon oben bemerkt, ist besonders bei Plutarch der Gebrauch der sog. Participialadverbia sehr ausgeprägt, so in den Variationen: *a.* Particip. Perfekt. Aktiv." — p. 3d ἀπεικότως, 5c εἰκότως, 6b idem; ,,*b.* Particip. Perfekt. Passiv." — p. 6b κεχαρισμένως, 12c ἐρρωμένως.

Quod ad syntaxin:

P. 23: ,,Abweichend vom Attischen Sprachgebrauche steht der Artikel bei Namen von Städten oder Personen, ohne dass auf sie als schon erwähnt oder allgemein hingewiesen werden soll, z. B. τῇ Ῥώμῃ Cic. 17, 14, ταῖς Θήβαις Demet. 39, 25, τὰς Θεσπιάς Ages. 24, 18." — p. 5c τοῦ Διογένους, 6d ὁ Περικλῆς, 10c τῆς Σπάρτης, 11a τοῦ Φιλαδέλφου.

P. 8:[2]) ,,Besonders liebt es unser Autor nach der Manier der Attiker zu einem Pronomen, einer Negation oder einem Adverb das Indefinitum τις zu setzen, um dessen Kraft hervorzuheben und zu verstärken . . . μήτι häufig μήτιγε." — p. 14a μήτιγε τοῖς υἱοῖς.

Ibid.: ,,Ein Atticismus ist ferner der Komparativ eines Adjektivs verbunden mit dem Genetiv des Reflexivums,[3]) z. B. ἑαυτοῦ μικρότερος καὶ νεοπρεπέστερος M. 334c." — p. 9e οἱ δ'ἑαυτῶν βελτίους, 13f κρείττους ἑαυτῶν.

Ibid.: ,,Ein Atticismus ist auch der absolute Gebrauch des Feminins eines Adjektivs. Sehr häufig finden sich τὴν ταχίστην (sc. ὁδόν)" e.q.s. — p. 13b τὴν ταχίστην.

P. 7: ,,Ebenso steht es (das neutrale Adjektiv) häufig statt eines Substantivs mit abstrakter Bedeutung." — p. 13e τὸ δυσμενὲς καὶ δυσκατάλλακτον, ibid. τὸ . . . . δύσκωφον. P. 27: ,,Einen weiten Spielraum in der grammatischen Anwendung zeigt bei Plutarch das Participium. So erscheint dasselbe, fast zu der Bedeutung eines

1) Cf. vero BRUGMANN—THUMB, Griechische Grammatik,[4] 1913, p. 339: ,,Diese Formen nehmen in der Κοινή immermehr überhand, s. MAYSER, Pap. 351f."

2) Nonnulla inserui ex iis argumentis, quibus WEISSENB. demonstrat PLUTARCHUM fuisse quem dicunt Atticistam. cf. p. 1—11.

3) Cf. SCHWAB, Hist. Syntax der Griech. Compar. in der Klass. Litt. II, 1894, p. 4 sqq.

Substantivs erstarkt, in Verbindungen wie τὸ ἀνθοῦν τῆς δυνάμεως, G. Gr. 39, 10; τὸ πεποιθὸς τοῦ ἀνδρός, Marc. 23, 21; τὸ χαῖρον ὑμῶν M. 478b." — p. 8b τὸ παρεῖκον τῶν καιρῶν, 13e τὸ τοῦ γήρως ἀμβλυῶττον.[1])

P. 26: „Sehr ausgeprägt ist bei Plutarch der Gebrauch des genetivus materiae oder generis, z. B. ἐκεῖνο καιροῦ, τοῦτο καίρου, Brut. 22, 3 . . . . ἐν τούτῳ τῆς ἡλικίας, Alc. 32, 12; in der attischen Prosa fehlt bei diesen Ausdrücken der Artikel; doch hat hier die Rücksicht auf den entstehenden Hiatus τούτῳ ἡλικίας den Artikel bedingt." — eodem ipso modo p. 14b ὀψὲ τῆς ἡλικίας, ut hiatus evitaretur; p. 4f εἰς τοσοῦτο φιλαργυρίας ἅμα καὶ μισοτεκνίας.

Ibid.: „Hieher gehört auch die bei Plutarch beliebte Wendung: τοῦ παντὸς διαμαρτάνειν, τῶν πάντων σφάλλεσθαι." — p. 2c τοῦ παντὸς διαμαρτάνων, 9d τοῦ δέοντος ἁμαρτάνοντες, cf. p. 5e, 8a, 10e.

P. 28: „Sehr ausgeprägt ist bei Plutarch der Gebrauch des absoluten Infinitivs; neben auch in der attischen Prosa gebräuchlichen Formationen erscheinen viele neugebildete wie τὸ δ'ἀληθέστερον εἰπεῖν Ant. 66, 16; καθόλου δ'εἰπεῖν M. 397c e.q.s." — p. 2a καθόλου μὲν εἰπεῖν, 9c συνελόντι δ'εἰπεῖν.

P. 29: „Statt eines Finalsatzes gebraucht Plutarch nicht selten nach den Verbis der Bewegung den Infinitiv z. B. nach ἥκω M. 83d, τρέπομαι Lys. 28, 13, σπεύδω etc." — p. 8d σπεύδω λέγειν, 9b σπεύδοντες πρωτεῦσαι.

P. 30: „Von nichtattischen Konstruktionen sind zu erwähnen: . . . φημὶ ὅτι Sol. 5, 6." — p. 5c συνελὼν τοίνυν ἐγώ φημι, ὅτι κ. τ. λ.

P. 31: „Stets hat ὑπισχνεῖσθαι den Infin. Futur. bei sich, z. B. M. 62a, Eum. 15, 28, Sert. 27, 7." — p. 8e ὑποσχόμενος δώσειν.

P. 32: „Abweichend vom Attischen Sprachgebrauche findet sich nicht selten in einem Finalsatze statt des Konjunktivs der Optativ, obwohl im übergeordneten Satze das Praesens steht." — p. 4f

---

1) Cf., p. 2c *τοὐνδεχόμενον*, 13d *τὸ συμφέρον*. Cf. Blass, Gramm. des Neutest. Griech.[2] 1902, p. 157: „Es ist dies im N. T. die am meisten klassisch scheinende Besonderheit des Sprachgebrauches, aus der alten profanen Litteratur bes. aus Thukydides zu belegen, indes auch „der höheren *κοινή* völlig geläufig (Schmid, Attic. IV, 608)". Cf. Radermacher, Neutest. Gramm. 1911, p. 168.

ὥσθ' ἵνα μὴ πλείονα μισθὸν τελέσειαν, ἀνθρώπους τοὺς μηδενὸς τιμίους αἱροῦνται.

P. 32: ,,Regelmässig steht der Infinitiv, nie das Verbum finitum nach ὡς = ὥστε." — p. 10c (Σωκράτης) τοῖς ἀμφ' αὑτὸν ὁρῶν ἀγανακτοῦντας καὶ σφαδάζοντας ὡς καὶ διώκειν αὐτὸν ἐθέλειν, 10d ὡς μὴ.... ἀπαγορεύειν, 13e ὡς ἔνια τῶν πραττομένων ὁρῶντας μὴ ὁρᾶν καὶ μὴ ἀκούειν ἀκούοντας.

P. 35: ,,Besonders häufig ist ὅπου, ὅπου καί = quandoquidem". — p. 2f καὶ τί δεῖ τἄλλα θαυμάζειν, ὅπου γε.... ὁρῶμεν.

P. 36: ,,Nach attischem Gebrauche stehen die Konditionalen Komparativsätze mit ὥσπερ ἂν εἰ, ὥσπερ εἰ zum Ausdrucke eines möglich gedachten Ereignisses im Optativ." — p. 4d ὥσπερ ἂν εἴ τις... προέλοιτο.

P. 37: ,,Bezieht sich das Relativ auf einen ganzen Satz, nicht auf ein einzelnes Wort, so erscheint ὅ, ὅπερ, nicht τοῦθ' ὅ, wie in der attischen Prosa." — p. 3d μάλιστα μὲν οὖν ὅπερ ἔφην αὐτὰς πειρατέον τὰ τέκνα τρέφειν τὰς μητέρας, 11c παρὰ πάντα δὲ ταῦτα, ὅπερ ἐστὶν ἱεροπρεπέστατον, ἐθίζειν τοὺς παῖδας τῷ τἀληθῆ λέγειν, 12f ἁπάντων γὰρ ὅπερ ἔφην τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων ἀπάγειν δεῖ τοὺς παῖδας.

Quod ad figuras rhetoricas:

P. 10: ,,So hat Plutarch, um einige markante Beispiele . . . anzuführen, von sog. Tropen angewendet am häufigsten die Litotes," — p. 2c οὐκ εὖ, 3d οὐκ ἀπεικότως, 4f οὐκ ἀκόμψως, 11a οὐ μεμπτὴν δίκην, 11b εἰς οὐ μετρίαν ὀργήν; ,,die Form des Oxymorons," — p. 13e ὁρῶντας μὴ ὁρᾶν καὶ μὴ ἀκούειν ἀκούοντας; ,,die Paralipse, z. B. τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν M. 501f, τί δεῖ τὰ πλείονα λέγειν M. 937b, τί δεῖ περὶ ταῦτα διατρίβειν M. 326a." — p. 2f καὶ τί δεῖ τἄλλα θαυμάζειν; ibid. καὶ τί δεῖ τὰ πολλὰ λέγειν; 8b οὐκ οἶδ' ὅτι δεῖ πλείονα λέγοντα διατρίβειν.

P. 11: ,,Besonders liebt Plutarch rhetorische Fragen, oft elliptisch in negativer Form angewendet, wie τί θαυμαστόν, τί κωλύει etc. oder τί οὐ, πῶς οὐ, πῶς γὰρ οὐ, τί δ'οὐ μέλλω etc." — p. 5a πῶς οὐκ ἄτοπον, 8d καὶ τί ταῦτα, 13e τί θαυμαστόν.

Haec sunt, quae in libello Plutarchea indicare potui. Quae,

quod in tam parvo libello tam crebra occurrunt, imprimis libellum defendunt, praesertim cum sine dubio complura in eo legantur, quae non suis verbis auctor dixerit. Apparet Plutarchum in congerenda materia ea, quae hinc illinc excerpsisset, magna ex parte suae orationi suoque stilo accommodasse.

Reliquum est, ut pauca dicam de hiatu. Plutarchum hiatum vulgo evitasse Benseler,[1]) Sintenis,[2]) Schellens,[3]) Volkmann,[4]) Bernardakis[5]) demonstraverunt. E quibus Benseler Plutarchi scripta in tria genera dividi vult: 1° in quibus hiatus non inveniuntur vel facile emendantur, 2° in quibus hiatus omnino non vitati sunt, quae scripta sine dubio spuria esse iudicat, 3° in quibus hiatus et occurrunt et vitantur. Inter haec postrema libellum, de quo agimus, esse arbitratur. Utrum a Plutarcho scriptus sit necne, non diiudicat.[6])

In libro eius generis, cuius hunc esse ostendimus, ne si omnino non evitatus quidem esset hiatus, tamen nulla haec esset causa, cur a Plutarcho eum abiudicaremus, quamquam post studia virorum supra nominatorum nullo modo dubitandum est, quin libri, in quibus hiatus non effugiatur, a Plutarcho scripti non sint. Hic vero libellus, qui ab auctore omnino non erat destinatus, ut publici iuris fieret, quippe continens annotationes modo ipsius scriptoris, non ea cura elaboratus est, qua alii Plutarchi libri. Mirandum igitur non est, inveniri in eo quattuordecim hiatus.[7]) Altera ex parte tamen scriptorem, ut erat assuetus hiatu evitando, in hoc quoque libro hic illic ita verba disposuisse apparet, ut hiatu carerent. E. g. post litteras vocales usus est voce, q. e. καθάπερ (p. 4c καὶ καθάπερ, 13d item), post consonantes voce, q. e. ὥσπερ;[8]) p. 2b vocabula ἄνευ, δίχα, χωρίς ita disposuit, ut vocem q. e. χωρίς

---

1) Benseler, De hiatu in scriptoribus Graecis, I Freib. 1841, p. 314 sqq.
2) Sintenis, De hiatu in Plutarchi vitis parallelis, Zerbst 1845.
3) Schellens, De hiatu in Plutarchi moralibus, Bonn 1864.
4) Volkmann, Leben und Schriften des Plutarch von Chaeronea, Berlin 1869, I., p. 113 sqq.
5) Bernardakis, in praef. ed. Mor. Leipz. 1888, I, p. LXI sqq.
6) o. l., p. 422.
7) Cf. Weissenb., p. 42.
8) Cf. Bernard., p. LXIV; Dyroff, p. 286, n. 5.

sequitur vocabulum, quod incipit a littera vocali. Porro ταχύ legitur p. 7a ante consonantem, ταχέως p. 13e ante vocalem, ἦν non ἦ (p. 6d) ante vocalem, παραυτίκα p. 2e post vocalem, αὐτίκα p. 3b post consonantem.

EPILOGUS.

En, habes benevole lector, quae in medium proferenda habebam de libello illo, qui primum locum obtinet Plutarchi Moralium. Fortasse expedit paucis comprehendere, quae quoad potuimus, hac disputatione demonstrasse nobis videamur.

Primo indagavimus, e quibus fontibus libellum profluxisse arbitrandum sit; apparuit eos fuisse Stoicae originis: priorem libelli partem sumptam esse e Chrysippi libello, cui nomen περὶ παιδοτροφίας; reliquam vero libri partem non minus Stoicorum doctrinam redolere, ita ut inde colligere liceat, toti libello quasi fundamentum subesse ea, quae apud Stoicos legerentur de puerorum educatione atque institutione. E forma habituque libelli apparere, eum non esse libellum perfectum limatumque: omnino ipsum significare se esse epitomen ideoque non fuisse destinatum, ut publici iuris fieret.

Haec addo. Traditus est inter Opera Moralia Plutarchi. Quapropter, si cui videtur a Plutarcho conscriptus non esse, ei argumenta colligenda sunt, quibus id probetur. Id fecerunt viri doctissimi Wyttenbach, Weissenberger, Hein (vir clarissimus Hartman in condemnando libro maiore ex parte Wyttenbachium sequitur), quorum argumenta, quantum potui, debilitavi, neque alia non addidi, quae et quod ad materiam et ad orationem probant Plutarchi manu libellum scriptum esse. E natura autem libelli apparet, eum esse unum ex iis opusculis collectaneis, quae Plutarchum hinc illinc collegisse ad libros suos conscribendos constat;[1]) veri simile est Plutarchum in animo habuisse scribere de educatione puerorum librum, qui liber aut a scriptore perfectus non est, aut periit.

Utrum ipse Plutarchus materiem, quam libellus praebet, con-

---

1) Cf. Christ-Schmid. II, p. 1⁵, 389.

gesserit e Stoicorum libris, an in eam inciderit ab alio iam conquisitam, haud facile diiudicatur, quamquam hoc veri similius esse videtur. Nam Plutarchum ad scribendos ne contra Stoicos quidem libros ipsa eorum opera legisse AB ARNIM putat probatque.[1]) Qui non fuisse cuiusvis hominis Chrysippum legere his verbis demonstrat: ,,Ut igitur nostratium philosophorum doctrinas quidem norunt, quicumque liberalibus artibus eruditi sunt, libros quorundam, qui spinosa disserendi ratione utuntur, ne docti quidem, ita Chrysippus ex eis auctoribus videtur fuisse, qui a plurimis eruditorum omnino non legerentur neque ab ipsis philosophis nisi doctioribus. Huius rei documento sunt Ciceronis scripta philosophica, quae nullam ipsorum Chrysippi librorum notitiam produnt, documento sunt Senecae dialogi et epistulae, quibus cum assiduam recentiorum philosophorum lectionem redoleant, nullum vestigium inest studii diligentioris in Chrysippo collocati. Testis est Epictetus in Arriani Epicteteis (I, 4, 6) eos Stoicorum alumnos, qui multos Chrysippi libros legissent eosque, qui sine praeceptore Chrysippum legere animo valerent, hac re exsultare solitos esse tamquam multum in sapientia profecissent." Ad Chrysippum autem longe plurima praecepta libelli referenda esse videntur, utpote cuius auctoritas inde ab altero p. Chr. saeculo in scholis Stoicorum una viguerit.[2])

Sed et alia causa est, cur putemus Plutarchum ante oculos habuisse epitomen quandam, ,,quales", ut cum v.d. AB ARNIM dicam, ,,et tunc permultas exstitisse credibile est et nos etiamnunc habemus DIOCLIS apud Diogenem et ARII DIDYMI apud Stobaeum,"[3]) distributionem dico. Etenim non est credibile, Plutarchum ea, quae adnotationum vice fungerentur, ita dispositurum fuisse, ut iis certa quaedam distributio inesset, qualem primo capite delineavimus. Eam vero inesse exspectandum est operi hominis, qui quae Stoici de puerorum educatione docuissent, sibi colligere in animo haberet. Nonne eo modo explicandum sit, in libello nihil legi, quod nominatim Stoicos philosophos indicet?

---

1) In praef. Stoic. vet. frgm. praemissa, p. X sqq.
2) Cf. AB ARNIM, ibid., p. XVII.
3) Cf. EPICT. diss. III, 16, 34; 17, 40.

Haudquaquam porro Plutarchus exscripsit tantummodo fontem; iam in excerpendo multa sua addidit, ut apparet ex iis, quae supra demonstravi, imprimis ex oratione, quam multis locis Plutarchum indicare ostendi.

Quod primum locum libellus obtinet in corpore Plutarcheo, ne miremur: ab editore, qui primus Opera Moralia disposuit, praemissus est libello, qui praecipit „Quomodo adulescens poetas audire debeat," ac libello, cui titulus „De recta ratione audiendi," quippe cum ita ordo quidam iustus existeret.

Ita factum est, ut nunc temporis ante oculos habeamus libellum, cuius auctorem proprie Plutarchum dicere non licet, qui tamen, Plutarchi manu scriptus, multa Plutarchea praebeat, et ei, qui praecepta Stoicorum philosophorum ad educationem pertinentia[1]) cognoscere vult, haud parvi sit momenti.

---

1) Cf. Dyroff., p. 295: „Es wird daher nicht mehr erlaubt sein, mit Zeller (III, 1³ S. 293 Anm.) von „„unerheblichen"" Resten Stoischer Pädagogik zu reden."

Ea, quae Ilda Montesi in medium protulit de Plutarchi libris, q.s. De liberis educandis et De poetis audiendis (Stud. Ital. 1913), inspicere non potui.

THESES.

I.

Iniuria viri docti *Gudeman* (P. Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus 1894, prolegg. p. XCIX) et *Dyroff* (Die Ethik der alten Stoa, Berlin 1897, p. 240) contenderunt *Chrysippum* scripsisse librum, cui titulus esset περὶ παίδων ἀγωγῆς.

II.

Errat *Gudeman* (P. Cornelii Taciti Dialogus de Oratoribus 1894, p. CI) haec scribens : „It therefore follows, that he (Dialogus) too is ultimately indebted to Chrysippos περὶ παίδων ἀγωγῆς."

III.

Plut. de liberis educ. (*Bernard.* Plut. Mor. I) cap. VII, p. 5 a 'τοιγαροῦν' εἶπε 'δύο ἕξεις ἀνδράποδα, [καὶ τὸν υἱὸν καὶ ὃν ἂν πρίῃ.] Verba uncis inclusa eicienda sunt.

IV.

Plut. de liberis educ. (*Bernard.* Plut. Mor. I) cap. XVII, p. 13 b ὡς ἐκ λυρικῆς τέχνης ἐπὶ τοὺς νέους ἀγόμενοι.

Legendum est: ληρικῆς.

V.

Eurip. Medea 1244 sq.

ἄγ' ὦ τάλαινα χεὶρ ἐμή, λαβὲ ξίφος,
λαβ', ἕρπε πρὸς βαλβῖδα λυπηρὰν βίου

Sic codd. Cum *Kuipero* (Medea, Leiden 1887) legendum est βίας.

VI.

Thucyd. (ed. *Classen-Steup*) III, 16.

καὶ ἠγγέλλοντο καὶ αἱ περὶ τὴν Πελοπόννησον [τριάκοντα] νῆες τῶν Ἀθηναίων τὴν περιοικίδα αὐτῶν πορθοῦσαι.

Iure *Steupius* vocabulum uncis inclusum delevit.

VII.

Hor. Epod. XIII, 3 (ed. *Orelli-Hirschfelder*)

Rapiamus *amici*
Occasionem de die, dumque virent genua
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.

Sic codd ; legendum: *amico.*

VIII.

Manil. Astronom. II, 72 (ed. *J. v. Wageningen*, Bibl. Teubn., 1915).

nec *sua* dispositos servarent sidera cursus.

Codd.: *sua*; legendum: *sic.*

IX.

Tac. Ann., II, 8.

Editio *Halmiana*: Classis Amisiae ⟨ore⟩ relicta laevo amne erratumque in eo, quod non subvenxit ⟨aut⟩ transposuit militem, dextras in terras iturum.

Immo legendum cum *Nipperdeio-Andreseno*: Classis Amisiae relicta laevo amne, erratumque in eo, quod non subvexit [transposuit] militem dextras in terras iturum.

X.

Verg. Aen. II, 274 sqq.

ei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli
vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes,
squalentem barbam et concretos sanguine crines,
vulneraque illa gerens, quae circum plurima muros
accepit patrios!

Verba q.s. squalentem barbam e.q.s. dicta sunt de Hectore illo, qui in somno Aeneae ante oculos adesse visus est, minime vero de Hectore post reportatam victoriam Troiam redeunte, sanguine et pulvere proelii oblito.

XI.

Tacitus in scribendo Dialogo de Oratoribus adhibuit *Quintiliani* librum, qui erat De causis corruptae eloquentiae.

XII.

Iniuria *Thucydides* eo nomine capitis damnatus est, quod Amphipolin prave defendisset.

XIII.

Athenis magistratus, cui nomen ἀντιγραφεὺς τῆς διοικήσεως, ut a senatoribus crearetur utque ipse senator esset, necesse erat.

XIV.

Het is niet onvereenigbaar met de kenleer der Stoa, wanneer de latere eclectische philosophie spreekt van eene de menschelijke ziel ingeboren kennis.

XV.

Aan *Epicurus'* hedonisme ligt een ethisch pessimisme ten grondslag.

XVI.

Onder de leervakken van de hoogste klasse van het gymnasium behoorde te worden opgenomen een overzicht van de beginselen der formeele logica.

XVII.

De ethisch-vormende waarde van het gymnasiale onderwijs, waarop in den laatsten tijd naast het propaedeutische element zoo sterk den nadruk gelegd wordt, zoeke men — voor zoover

de klassieke talen aangaat, — niet overwegend in de keuze der te lezen auteurs, maar vooral in de wijze van hun behandeling.

XVIII.

Vooral voor het Christelijk gymnasiaal onderwijs als zoodanig is het toe te juichen, dat de klassicistische opvatting van de oudheid heeft moeten plaats maken voor de historische beschouwing.

66

IN LIBRIS SAPIENTIA